SVMMA ETHICAE, SIVE, INTRODVCTIO

In ARISTOTELIS, & THEOLOGORUM Doctrinam Moralem.

CVM QVATVOR INDICIBVS

Uno Propositionum in libri initio; alio Aristotelico, tertio Thomistico; quarto Rerum, in fine.

Auctore FRANCISCO PAVONIO Catacensi Theologo S. J.

BIBL. CANT. AC.

OXONIÆ,
Typis H. H. Impensis RIC: DAVIS,
Anno Domini 1668.

1964.9.7

Joh. Colbatch, S.T.P.
Trin. Coll. Cant. Socius Sen.

W. S. fec.

INDEX
PROPOSITIONVM.

Proœmium, in quo ratio Lectori redditur finis, divisionis, ac methodi huius operis. fol. 1

DISPUTATIO PRIMA.

De Natura Ethicæ.

Quæst. 1. De Definitionibus, quæ faciunt ad doctrinæ moralis naturam intelligendam. fol. 6

1. Definitio Ethicæ. 6
2. Def. Moris. 7
3. Def. Actionis. 9
4. Def. Habitus. 9
5. Def. Boni. 10
6. Def. Boni moralis. 16
7. Def. Finis. 17
8. Def. Felicitatis. 18
9. Def. Obiecti. 19

Quæst. 2. De Moralis disciplinæ divisione in speculativam & practicam, & de Ethicæ natura ac methodo. 19

1 Prop. De Disciplinæ moralis divisione. 19
2. Prop. De Prudentiæ divisione. 23
3. Prop. De Ethicæ obiecto. 25
4. Prop. De Prudentiæ obiecto. 26

5. Prop. De Methodo qua in felicitate contemplanda utendum. 27
Quæst. 3. De præcipuo Disciplinæ moralis obiecto, quod est ens morale, sive Spontaneum. 27
1. Prop. Quid sit ens morale. 28
2. Prop. Quæ sit ratio moralitatis in actibus voluntatis. 38
3. Prop. Quæ sit ratio moralitatis in obiectis, & aliis, quæ moralia dicuntur. 40
4. Prop. De Bonitate, & malitia morali. 41
Quæst. 4. De Prudentiæ natura, & partibus. 47
1. Prop. De formali Prudentiæ ratione. 48
2. Prop. De obiecto Prudentiæ. 66
3. Prop. De subiecto Prudentiæ. 70
4. Prop. De Prudentiæ principio efficiente. 72
5. Prop. De Prudentiæ proprietatibus. 74
6. Prop. De potentialibus Prudentiæ partibus. 76
7. Prop. De Prudentiæ partibus integralibus. 77
8. Prop. De Prudentiæ partibus subiectivis. 80
Quæst. 5. De Circumstantiis. 83
1. Prop. De Circumstantiarum numero. 84
2. Prop. De modo quo se habent circumstantiæ ad obiectum morale. 87

DISPUTATIO SECUNDA.

De Felicitate.

Quæst. 1. De ratione formali felicitatis. 90
1. Prop. felicitatem esse summum hominis bonum. 90
2. Prop. Summum hominis bonum esse operationem hominis, ut homo est. 93
3. Prop. Operationem intellectus ad essentialem felicitatem attinere. 96

4. Prop. *Rationem formalem felicitatis positam esse in Dei contemplatione.* 99
Quæst. 2. *De Felicitatis proprietatibus.* 102
1. Prop. *De voluptate.* 102
2. Prop. *De Perpetuitate felicitatis.* 108
3. Prop. *De amore Concupiscentiæ in summum bonum.* 110
4. Prop. *De Actione.* 111
5. Prop. *De bonis Corporis, & externis.* 114
6. Prop. *De Amicitia.* 115
Quæst. 3. *De principio Felicitatis efficiente.* 132
1. Prop. *De obiecto motivo, & causa illud proponente.* 133
2. Prop. *De modo, quo voluntas movetur.* 141
3. Prop. *De Regula voluntatis.* 147

DISPUTATIO TERTIA.

De virtutibus moralibus.

Quæst. 1. *De virtutibus moralibus in communi.* 156
1. Prop. *De ratione formali virtutum moralium.* 156
2. Prop. *De obiecto virtutum moralium.* 159
Passionum divisio. 163
De Amore. 168
De Odio. 171
De Concupiscentia. 172
De Abominatione. 174
De Delectatione. 174
De Dolore, seu Tristitia. 177
De Spe. 181
De Desperatione. 182
De Audacia. 183
De Timore. 185

De Ira. 188
De Comparatione, ac ordine passionum inter se. 192
De Morali passionum bonitate, ac malitia. 199
Operationum divisio. 201
De mediocritate objecti virtutum. 203
Virtutes morales circa voluptates, & tristitias versari. 208
Objectum virtutum moralium habere rationem ardui. 209
3. Prop. De subjecto virtutum moralium. 209
4. Prop. De causa virtutum moralium efficiente, & finali. 215
5. Prop. De virtutum moralium divisione, ac generibus. 216
6. Prop. De eadem re. 217
7. Prop. De connexione virtutum moralium. 223
8. Prop. De virtutum moralium æqualitate. 227
9. Prop. De Duratione virtutum moralium. 229
Quæst. 2. De Justitia. 230
1. Prop. De Justitiæ, ac Juris nomine. 230
2. Prop. De objecto Justitiæ. 233
3. Prop. De divisione Juris. 234
4. Prop. De ratione formali Justitiæ. 245
5. Prop. De Justitiæ generibus. 248
6. Prop. De generibus Justitiæ particularis. 253
7. Prop. De generibus Justitiæ generalis. 256
De Religione. 257
De Pietate. 258
De Observantia. 259
De Justitia legali specificè sumpta. 259
De Epiicæia, sive Æquitate. 260
8. Prop. De virtutibus, quæ sunt affines Justitiæ. 261
De Gratia. 261. (261
De Liberalite. 262

De Mag-

De Magnificentia. 263
De Affabilitate. 263
De veritate. 264
De urbanitate. 264
De Obedientia. 265
De Vindicatione. 266
Prop. De vitiis Justitiæ contrariis. 267
De Injustitia. 267
De Injustitia illegali. 270
De Superstitione. 271
De Irreligiositate. 272
De Avaritia, & prodigalitate. 273
De vitiis Magnificentiæ oppositis. 274
De Adulatione, ac Litigio. 274
De Mendacio, Simulatione, Jactantia, Ironia, 275
De Scurrilitate, ac Rusticitate. 276
10. Prop. De Justitiæ subjecto. 276
Quæst. 3. De Fortitudine. 281
1. Prop. De Ratione formali Fortitudinis. 282
2. Prop. De Fortitudinis objecto, ac materia. 285
3. Prop. De Virtutibus Fortitudini affinibus. 286
De Fiducia. 287
De Magnanimitate. 288
De Securitate. 290
De Patientia. 291
De Longanimitate. 291
De Perseverantia. 292
De Constantia. 292
4. Prop. De partibus Fortitudinis integralibus. 292
5. Prop. De vitiis contrariis Fortitudini, & virtutibus ei affinibus. 294
Quæst. 4. De Temperantia. 297
1. Prop. De Ratione formalli Temperantiæ. 297
2. Prop. De Temperantiæ objecto ac materia. 300
3. Prop. De Temperantiæ partibus integrantibus. 301

4. Prop. De Temperantiæ partibus subjectivis. 302
5. Prop. De virtutibus Temperantiæ affinibus. 303
De Continentia. 303
De Mansuetudine. 304
De Clementia. 304
De Modestia. 305
De Humilitate. 307
De Studiositate. 308
De Parcitate. 308
6. Prop. De vitiis oppositis Temperantiæ, & virtutibus ei affinibus. 309
De Stupore. 309
De Intemperantia. 310
De Gula. 311
De Ebrietate. 312
De Luxuria. 312
De Impudicitia. 313
De Incontinentia. 313
De Ira, & Lenitate nimia. 316
De Crudelitate, Sævitia, Lentitudine. 317
De Superbia, & abjectione nimia sui. 317
De Curiositate. 319
De Ludi superfluitate, & Austeritate. 320
De superfluitate Ornatus, & Mollitie. 320
Epilogus.
Index Aristotelicus.
Index Thomisticus.
Index Rerum.

SUMMA

SUMMA ETHICÆ, SIVE, INTRODUCTIO IN ARISTOT. ET THEOlogorum doctrinam Moralem.

PROOEMIUM,

De operis fine, divisione, methodo.

PRæcipuum nobis est præcipua doctrinæ moralis loca percurrere, ac nosse volentibus brevi summa proponere. Usus erit hujus nostri laboris Philosophiæ candidatis, ut speramus, non injucundus. Nam qui volunt in Philosophia insistere, eámque perfectam edisce re; debent in Ethicam incumbere: quæ inter præcipuas ejus doctrinæ partes numeratur, quòd de Hominis felicitate disputet, & actione, ac mediis ad eam consequendam. Quibus verò animus est ad nobiliora sacræ Theologiæ studia progredi, iis opus est Ethica ad Theologiam moralem percipiendam; ut necessariæ sunt aliæ naturalis *Finis*

Philosophiæ partes & ad moralia, & ad cætera, quæ in Theologia disputantur, intelligenda. Putamus ergo fore non ingratam Philosophiæ candidatis hanc moralis Philosophiæ summam, hanc Isagogen ad moralem Theologiam. Sed veteranis etiam tum Philosophis, tum Theologis hoc opusculum offerimus. Haurient fortasse animo non pusculam voluptatem, cum animadverterint sibi compendio proponi & Aristotelis, & S. Thomæ doctrinam moralem, & præcipua, de quibus in Ethicis disputari à Professoribus solet; & erit forte nonnullus, cui jucundè accidet intueri paucis in hac summa comprehensum ad renovandam brevi lectione memoriam, quod ipse diuturnis commentationibus excogitaverit. Porrò cùm alii sint moralis doctrinæ usus communiores, & utiliores; invitandi videntur, atque impensè hortandi omnes doctrinarum studiosi, ad ethicorum cognitionem, sive ex hoc nostro qualicumque, sive ex locupletioribus aliorum libris hauriendam. Pertinet enim hæc maximè cognitio ad humanitatem nostram: in qua miro quodam modo magis elucere solet, quàm cetera lumina doctrinarum: an quia Ethica de humanis actionibus agit, quas sentimus ipsi, & experimur? elucere autem maximè solent scientiæ, quæ nituntur experientia: an quia præclarissimum est humanæ mentis decus Prudentia? Ethica autem cognitio potest multum ad acquisitionem Prudentiæ. Jam hominis nomine appellari non debet qui virtutibus moralibus careat. Quantum autem valet ad comparandas virtutes notitia modi, quo illæ comparari queant? Is modus, ac ratio à morali doctrina commonstratur. Nemo igitur esse debet eorum, qui doctrinas consectantur, qui ad Ethica prælibanda non accedat. Cum autem tam multiplex

multiplex sit Ethicæ cognitionis usus, tam jucundus, tam utilis: nemo supervacaneum dicet hunc laborem nostrum, quo literarum studiosis cooperamur in ethica cognitione acquirenda. Et quamvis extent libri plurimi, in quibus copiosè de ethicis disseritur: non ob id tamen hoc opusculum putamus edere frustrà. Multis nova placent: erunt plurimi, quos hæc nostra brevitas delectabit: erunt, qui nondum alia ethica legerint, hæc ad eorũ manus prima pervenient. Hæc de fine nunc operis divisio, ac methodus innuenda. *Divisio.*

Tota summa disputationibus tribus dividitur. In prima de ipsa morali doctrina disputatur: in secunda de ejus præcipuo objecto, qui est Hominis finis, ac felicitas: in tertia de virtutibus, quæ sunt media ad felicitatem. Quæstiones de Prudentia in primam disputationem conjecimus, tum ut simul ageremus de utraque cognitione, doctrina, virtute morali intellectuali tum speculativa, tum practica, id est, tum de Ethica, tum de Prudentia; ad scientiæ commoditatem: quia praxis speculationi respondet, & unius cognitio melius ex alterius cognitione percipitur, tum ut planiora essent, quæ in duabus sequentibus disputationibus differuntur: quarũ pleraq; præcognitionẽ requirunt eorũ, quæ ad Prudentiæ doctrinam pertinent. Methodum elegimus, quæ brevitati, ac perspicuitati visa est aptissima. *Methodus.*

Primum igitur, licet hæc summa sit introductio in Aristotelis doctrinam moralem; non servamus ordinem, quem ille in suis moralibus servat: quia visum nobis est brevitati, ac perspicuitati magis consultum, si eo, qui supra propositus est, ordine disputationes texeremus. quanquam Indicem Aristotelicum apponimus, quo facimus hæc nostra Nicomachiis moralibus respondere. Deinde disputatio-

nes quæstionibus distinguimus, quæstiones Propositionibus. Propositiones summa sunt brevissima præcipuorum capitum doctrinæ, quam tradere intendimus, quibus suas probationes, explicationes, & quasi commentaria subjicimus. inter explicandum si quod dubium aut controversum occurrit, ita breviter expeditur: Principio argumenta proponuntur nostræ doctrinæ contraria; tum auctoritas gravissimi alicujus Doctoris pro nostra sententia; postremo responsiones ad argumenta. ea fere sunt fundamenta Doctorum contrarium opinantium, opiniones autem non recitamus, ne fusiores simus, quàm exigit ratio summæ. ob eandem causam ferè tacemus argumenta, quæ facile ex Propositionum probationibus solvi possunt: magisque amamus quadam quasi doctrinæ narratione uti, quàm altercatione objectionum, & responsionum. Propositiones autem habent ordinem topicum, quantum oportet. in quaque materia principio quid nominis, deinceps finis, ratio formalis, materialis, causa efficiens, proprietates explicantur: ita putamus nihil omissum iri, quod videatur ad plenam Ethicæ doctrinam pertinere. Postremò, ut brevitatem sectemur, verbis utimur pressis, & quasi statis: ne quis tamen ob id putet in iis propositionibus, in quibus rationes formales explicantur, definitiones tradi: non enim tradimus definitiones, sed explicationes definitionum, & summam, ut supra dictum est, doctrinæ, de qua fusiùs post singulas propositiones disputatur. Ut perspicuitati serviamus, terminis utimur usitatis, & vocibus communibus, & nota dicendi tenui, phrasique facili: ut ea, quæ scribimus, intelligi possint etiam ab iis, qui nunquam philosophicum characterem experti sunt. Precamur Deum Optimum Maximum, ut pro sua benignitate nostro labori dignetur annuere

annuere ad gloriam ſuam, & ad ſalutem animarum. Hortamur etiam, atque etiam Lectorem, ut ſeriò animum eò advertat, ut Ethicorum cognitione utatur ad inveniendum modum, quo virtutes conſequi poſſit, & felicitatem activam in hac vita: ut ita viam ſibi paret ad æternam felicitatem, qua beati perfruuntur in cœlo. porrò ſi quid inter legendum hanc ſummam reperierit boni, Deo tribuat auctori bonorum; ſi quid mali, patienter ferat, & ignoſcat tenuitati noſtræ.

DISPUTATIO PRIMA, DE NATURA ETHICÆ.

AD hanc Disputationem attinent definitiones rerum, quæ faciunt ad Doctrinam moralem intelligendam, ejus divisio in speculativum, & practicam, utriusque ratio, objectum, modus procedendi.

QUÆSTIO PRIMA.

De definitionibus, quæ faciunt ad Doctrinæ moralis naturam intelligendam.

PRIMA DEFINITIO.

Ethica *Disciplina illa, quæ humanam vitam contemplatur, ac suis præceptis eam instituit, & docet, Moralis Latino vocabulo, Ethica Græcè nominari potest.*

ETHICA disciplina propriè (a) Activa Philosophia dicenda est, quòd hominis actiones speculetur, & dirigat: Moralis, & Ethicæ vox uni tantùm ejus Philosophiæ parti convenit ut proprium. Tres enim activa Philosophia proteiplici humanarum actionum, quæ diligendæ sunt, genere, sive respectu, partes habet:

(a) *Eustratius 1. ethic. in princ.*

Ethicam

Ethicam sive Monasticam, Oeconomicam seu Familiarem, Politicam seu Civilem. (*b*) Quarum prima Mores, sive Actiones hominis in se absolutè considerati contemplatur, easque dirigit ad finem. Secunda, Domesticam disciplinam considerat, & ad propriæ familiæ gubernationem erudit. Tertia, De optima Rep. philosophatur, & hominem dirigit, ut ea, quæ ad totius Reip. statum, & universale bonum spectant, probè exequatur. quæ tres activæ Philosophiæ partes in eo fundantur, quòd Homo, ut agens est secundum rationem, & propter finem sibi proprium, qui est vita rationalis, duobus modis considerari potest: aut secundum se, & ut per voluntatem, & intellectum seipsum ordinat ad laudabilem, & virtute prædictam vitam; aut ut est pars multitudinis, quam juvat, & à qua juvatur ad finem assequendum. Duplex autem est multitudo, quæ necessaria est ad vitam transigendam, Familia, sive Domus, & Civitas. Ab his enim habetur Generatio, nutrimentum, vestitus, habitatio; Artes, quibus parantur vitæ necessaria; Leges, Potestas publica per quæ homo dirigitur, ac defenditur. Ex hoc ergo triplici humanarum actionum respectu, ad seipsum, ad familiam, ad Civitatem; triplicem habet activa Philosophia partem. Harum prima Ethica propriè dicitur, sive Moralis: quam nos tribus disputationibus complecti conamur. Moralis autem à more nomen accepit.

II. DEFINITIO.

Mos, & consuetudo dicitur, & habitus quidam appetitus, ut subditi rationi. Mos.

MOS (*c*), primùm de Consuetudine dicitur; quam Græci ἔθος nominant. Deinde moris

(*b*) *S. Thom. 1. ethic. in princ.* (*c*) *Aristot. Moral. Eudem. l. 2. c. 4. S. Tho. 1. 2. qu. 58. ar. 1.* Mos

nomen usurpatur ad eam animi qualitatem, ac habitum significandum, qui ad eas actiones humanas inclinat, quæ ab appetitu proficiscuntur ut subdito rationi, seu cum deliberatione rationis. Is habitus Græcè ἦθος appellatur ab ἔθος, id est, consuetudine; quòd ex coniunctudine, id est, ex frequentatis actibus augeatur, ut docet Arist. 2. Moral. Eudem. cap. 4. Quanquam autem ob hanc Arist. rationem possent etiam Moris naturam habere omnes habitus, qui ad operationes inclinant, quæ proficiscuntur ab Intellectu: usus tamen obtinuit ut mos dicatur tantùm de habitibus appetitus, ut dictum est. An quia causa efficiens horum habituum est sola assuetudo, ut indicat Aristot. 2. Ethic. cap. 1. cum habituum intellectualium non sola assuetudo, sed doctrina, & experientia sit causa? Hac moris acceptione, benè, vel malè morati homines dicuntur; non bruta, nisi per translationem. Porrò à More hac secunda significatione sumpto actiones humanæ Morales appellantur. An autem ut eæ Morales dicantur, præter deliberationem rationis, requiritur etiam libertas in voluntate *(d)*? Putarem utrasque moralium nomine appellari posse, tum eas, quæ à sola ratione proficiscuntur sine libertate; ut essent actiones voluntariæ beatorum operantium necessariò ex visione beata: quis enim neget eas morales esse? aut beatos, ut possunt illas operari, esse bene moratos? tum eas, quæ cum voluntatis libertate fiunt: harum enim effectus sunt illi habitus in nobis, qui maximè morales dicuntur, nempe virtutes; ergo & maximè morales dici debent actiones, per quas illi habitus producuntur, & usus obtinuit ut hæ tantum morales nuncupentur. Atque de hoc actionum moralium genere agendum nobis est cum Arist. & Doctoribus in hac Ethica scientia: quæ actiones

(d) Id videtur sentire Gre. Val. 1. 2. d. 2. q. 13. p. 1.

ut virtutum habitus producunt, non jucunditatem, aut utilitatem respiciunt, sed honestatem: virtutum enim objectum honestas est, ut infra dicetur. Quare licet omnes humanæ actiones etiam ut ab honestate abstrahunt, & circa objectum utile, ac jucundum versantur, & his contraria, Morales dici possint: eæ tamen maximè morales dicendæ quæ respiciunt honestum, aut turpe.

III. DEFINITIO.

Actio, à Philosophis moralibus sumitur pro operatione morali. Actio.

ACtio, 1. ampla significatione dicitur à Physicis, actualis dependentia cujuslibet entis à principio ipsum efficiente. 2. Magis presse sumitur Actio ut quid ab affectione distinctum (*e*): estque operatio permanens in ipso agente, ut videre; cum Factio sit operatio transiens in exteriorem materiam, ut ædificare. 3. Adhuc pressius (*f*) accipitur in Morali scientia Actio pro operatione morali; cujus generis sunt operationes illæ, quæ à recta ratione proficiscuntur, & sequuntur præcepta Prudentiæ. Factio est operatio, quæ ex deliberatione, ac directione rationis fit, tendentis ad opus utile homini, seu ad honestum naturale nullo considerato ordine ad honestatem rationalem, aut turpitudinem.

IV. DEFINITIO. Habitus.

Habitus, est firma quædam, & constans qualitas, quæ confert potentiæ promptitudinem ad operandum.

ALiæ sunt hujus vocis Habitus significationes: sed hæc facit ad rem nostram. Quod autem detur in appetitu rationalis qualitas physica, ut illam hac definitione describimus, ita probamus. Experimur usu

(*e*) S. Tho. 1. 2. q. 57. ar. 4. (*f*) Aris. 6. Eth. c. 4.

& frequentatione actuum intellectualium, acquirere nos facilitatem in intelligendo: quæ facilitas, cum verè sit in nobis, & remaneat transactis actibus, aliquam formam realem, & permanentem requirit, quæ in nobis sit, cum antea non esset, ea forma est habitus, ut ex habitus definitione intelligitur: at eandem facilitatem experimur post frequentatos actus voluntatis. ergo & actus voluntatis producunt suos habitus: tum quia, si conceditur vis productiva habituum actibus intellectus, cur non etiam concedatur actibus voluntatis? Tum quia facilitas, quam experimur ad actus voluntatis, non potest provenire ex actibus, vel habitibus intellectus; & quia nunquam est talis facilitas, nisi post frequentatos actus voluntatis, quantumvis frequentati fuerint actus intellectus: & quia facilitas in operando oritur ex efficientia causæ adjuvantis potentiam: melius autem est dicere mihi concurrere efficienter ad actus voluntatis, quòd spectet ad aliam potentiam, quàm ad voluntatem. Dantur ergo sui habitus in voluntate; qui cum ex actionibus moralibus relinquuntur, habitus morales sunt: de quibus agitur in Ethica, & virtutes appellantur, si boni sint; vitia, si mali.

DEFINITIO V.

Bonum. *Bonum est, quod omnia appetunt.*

HÆc definitio est Arist. 1. eth. c. 1. & communis Philosophorum; qua describitur Ratio boni à posteriori per ejus proprietatem. Est enim alia ratio prior, ex qua profluit appetibilitas, nempe Ratio convenientiæ: quidquid enim appetitur, sub ratione convenientiæ appetitur, ut patet Inductione, quia convenit appetenti, quare definitio à priori ea esset: Bonum est ens ut conveniens est. Ratio

(a) *Vide Burid. 1. lib. q. 4.* autem

autem bonitatis nihil aliud videtur esse, præter ipsam rationem entis, ut connotantem Capacitatem, seu inclinationem, seu exigentiam ipsius entis in subjecto, cui ea entis ratio congruit. quare Ratio bonitatis est conceptus comparativus entitatis ad exigentiam subjecti. Non est autem necessarium ad hujusmodi conceptum distingui à parte rei rationem entis, quod convenit, à subjecto, cui convenit; exigentia autem, & inclinatio dicitur alio nomine Appetitus. Porrò duplex est appetitus, elicitus, & innatus. Appetitus elicitus, est actus appetendi, quo potentia, præeunte cognitione, fertur in suum objectum; ut amore inclinatur voluntas in res ab Intellectu propositas. Appetitus innatus triplex est, Naturalis, Sensitivus, Intellectivus. Naturalis quo res sine ulla notitia inclinatur in id, quod sibi conveniens est, qui appetitus ut consideratur in ordine ad bonum transcendentale, & sibi intrinsecum ac secum identificatum, non distinguitur ab illo, nisi ratione. naturali appetitu materia formam appetit absque ullo actu; vis intelligendi objectum intelligibile; quælibet res rationes essentiæ, ac entitatis propriæ. Appetitus sensitivus, est appetitus innatus, quo res fertur in bonum sibi conveniens, præeunte notitia sensus, estque duplex, Irascibilis, & Concupiscibilis. Appetitus intellectivus, est appetitus innatus, quo res appetit bonum sibi conveniens, prævia notitia intellectus: qui appetitus nihil est aliud, quàm voluntas. Quid autem est ratio convenientiæ? Ipsa ratio perficiendi. tum quia quicquid perficit alterum, convenit illi; & quicquid non convenit alteri, non perficit illud, ut patet inductione: tum quia non apparet quid aliud sit à rei ratio convenientiæ. Ratio autem perficiendi nil aliud videtur esse quàm ipsa ratio entis, tū quia quidquid

aliudi

aliud perficit, ens est; tum quia quicquid imperfectum dicitur, ideo dicitur imperfectum, quia caret aliqua entis ratione. A ratione Boni ita explicata, profluit Passio, sive proprietas, secundum quam definitur vulgò Bonum, Quod omnia appetunt, id est, ad quod omnia inclinationem habent, sive appetitum. (*g*) In qua definitione sumendum est Bonum, ut abstrahit à transcendentali, ac non transcendentali; & appetitus pro quocunque appetitu. Ita unumquodque quidquid appetit, sub ratione convenientis appetit; non quidquid conveniens est, sed quod sibi conveniens: quanquam implicitè quidquid aliquid appetit, unum bonum appetit, nempe Deum, (*b*) cujus participatio est quidquid bonum, & appetibile est.

Dicet quis hanc boni descriptionem non esse bono propriam, quod contingat etiam Malum appeti. Nam sensus hominis proni sunt ad malum ab adolescentia sua, ut dicitur *Genes.* 8. 2. Præterea, qui cruciantur apud inferos obfirmati sunt in malo, & volunt peccata. 3. Præterea hominum voluntas est libera, ergo pro suo arbitratu potest etiam malum velle.

Sed omnem appetitionem tendere in bonum docet Arist. 8. eth. c. 2. 1. Polit. c. 1. S. Dion. de Div. Nom. c. 4. S. Tho. 1. 2. quæst. 8. art. 1. & alii. atque hoc suadet ratio, (*i*) Quia quælibet appetitio est quædam inclinatio appetentis in aliquid: nihil autem inclinatur nisi in sibi simile, & conveniens: quod autem conveniens est, ens, ac bonum est; ergo non potest esse inclinatio voluntatis, nisi in bonum: si quis est actus in malum, is non inclinatio, sed fuga est. Jam omnis inclinatio con-

(*g*) *S. Tho. in 1. eth. c. 1.* (*b*) *Dion. de Divin. Nomin. c. 4.* (*i*) *S. Tho. 1. 2. q. 8. ar. 1.*

sequitur

sequitur aliquam formam. Appetitus naturalis consequitur formam in natura existentem. appetitus sensitivus, & intellectivus sequitur formam apprehensam, ut docet experientia. ut ergo id, in quod tendit appetitus naturalis, est forma existens in re: ita ratio, in quam tendit appetitus sensitivus, & rationalis, est bonum apprehensum. igitur ut voluntas in aliquid tendat, necessarium non est, ut sit vērè bonum, sed ut apprehendatur sub ratione boni.

Ad primum respondetur, Appetitum sensitivum ferri in bonum suæ naturæ conveniens, quod est Jucundum: quanquam accidit illud non esse consentaneum rationi, ac proinde rationi malum.

Ad secundum respondetur, Damnatos velle malum peccati, ut quid sibi conveniens ad explendam iram, & odium in Deum, à quo puniuntur.

Ad tertium respondetur, Non posse voluntatem inclinationem habere in id, quod est extra objectum inclinationis. Exercet ergo libertatem quatenus potest appetere malum sub ratione boni, & cohibere se ne appetat verum bonum, & appetere malum ut exerceat libertatem; quod est appetere sub ratione boni, quia exercitium libertatis est aliquod bonum. Attendenda est ratio ultimi termini, ad quem tendit appetitus, quæ est ratio formalis appetendi media. ea ratio semper est ratio boni: quæ influit in media, & reddit ea appetibilia, etiam si illa materialiter mala sint: ut medicina amara redditur appetibilis ratione sanitatis.

Sunt & aliæ Boni Definitiones, quæ à Doctoribus tradi solent secundū alias boni considerationes. ut, (m) Bonum est participatio primi boni, quod ex se bonum est. (n) Bonum est diffusivū sui. Nobis satis

(m) *Plot. Enn. 6. l. 7. c. 19.* (n) *Dion. de Divin. Nom. §. 4.*

est

est Arist. definitionem explicasse. Nunc bonorum genera distinguenda sunt, ut ea, quæ magis ad Ethicam spectant, definiamus.

Prima Boni divisio est eadem, quæ divisio entis in decem summa genera, seu prædicamenta. Ita dividit Arist. 1. eth c. 6.

2. Divisio. Alia sunt bona animi, ut virtutes; alia corporis, ut vires, sanitas; alia exteriora, ut divitiæ, fama, honor, dominatus. est Arist. 1. Magn. Mor. c. 3. & 1. Rhetor. ad Theod. c. 5.

3. Aliud per seipsum bonum est, seu per suam essentiam, ut est solus Deus; aliud, quod ab alio est bonum, seu participatione. est Augustini in Psal. 134.

4. Bonum aliud verum, aliud apparens; prout ens aut veram habet convenientiam cum appetitu, aut videtur habere, cùm tamen non habeat.

5. Aliud in se, sive sibi bonum est, aliud alteri bonum; prout Ratio entis convenientis non distinguitur ab eo, cui convenit, aut distinguitur.

6. Bonum aliud simpliciter, aliud secundùm quid. Hæc divisio potest multis modis intelligi. 1. Accipiendo bonum simpliciter pro bono honesto; bonum secundùm quid pro bono delectabili, & utili. 2. Ut bonum simpliciter sit id, quod totam entis bonitatem habet, qualis est solus Deus, qui ob id summum bonum dicitur, & solus bonus: bonum secundùm quid, quod ex parte tantùm bonum est, & per participationem. 3. Ut bonum simpliciter sit ens, quod habet omnem perfectionem sibi debitam in suo ordine; bonum secundùm quid, quod aliquid perfectionis debitæ habet, & aliquid ei deest. atque hoc modo dixit Dionys. Bonum esse ex integra causa. 4. Ut bonum simpliciter sit perfectio simpliciter, id est, quæ in genere entis talem perfectionem

nem dicit, ut nullam majorem, vel æqualem excludat: bonum secundùm quid sit perfectio secundùm quid, seu in certo genere, quæ licèt perfectionem aliquam afferat, tamen cum alia majore, vel [illegible]li repugnat, vel imperfectionem aliquam habe[illegible]am: ut sunt perfectiones omnes creaturarum præter in eis sunt. 5. Ut bonum simpliciter sit perfectio simpliciter in aliquo determinato genere entis, id est, quæ majorem, vel æqualem perfectionem non excludit ex iis, quæ possunt compesere tali enti; sic est bonum igni esse calidum. Bonum secundùm quid, sit perfectio secundùm quid, id est, quæ licèt afferat aliquam bonitatem, excludit tamen majorem, cujus illa res est capax; ut esse nigrum in homine, quamvis in se bonum sit, excludit tamen esse album, quod est homini melius.

7. Aliud bonum honestum, aliud delectabile; aliud utile. est Arist. 2. eth. c. 3. & 8. eth. c. 2. & communis, & ad intelligendum quæ in Ethica disputantur, necessaria. Hujus divisionis duæ sunt rationes, altera à priori, quæ sumitur ex ratione entis: ut dicit rationem convenientiæ. Quod enim convenit alicui, aut per se convenit, aut non per seipsum, sed solum ratione alterius, quod per ipsum obtineri potest. Quod per se convenit, aut spectatur præcisè sub hac ratione, ut conveniens est appetitui; aut ut præter convenientiam dicit delectabilitatem, quæ est passio profluens à ratione convenientiæ; quia quod actu appetitui convenit, cum actu possidetur, delectationem causat; ergo antequam possideatur, est potens causare delectationem; quod est esse delectabile. Jam quod per se convenit, ut præcisè convenit, dicitur Bonum honestum; ut præter convenientiam dicit delectibilitatem, est

Bo-

Bonum delectabile; quod solùm convenit ratione alterius, quod per ipsum acquiritur, ut animali medicina ratione sanitatis, Bonum utile nominatur. (o) Altera hujus divisionis ratio est à posteriori ex ratione appetibilitatis, qua [illegible] in Bono, & motu, seu quasi motu appetitus [illegible]um. ut enim in motu corporis naturalis est [illegible]ltimum, ad quod simpliciter motus terminatur; & medium, ad quod terminatur secundùm quid, & ex parte: in ultimo autem duo sunt, & res illa, ad quam tenditur, ut est locus, vel forma; & quies in re illa. ita in motu appetitus id, quod est appetibile terminans motum appetitus secundum quid, ut medium, per quod tenditur in aliud, vocatur utile, id, quod appetitur ut ultimum, & ut quid, ad quod per se appetitus tendit, vocatur honestum. quod autem terminat motum appetitus ut quies in re desiderata, est Delectatio. Hæc autem Boni divisio non est univoci, sed Analogi. quia ratio boni à suis membris dividentibus secundùm attributionem participatur. Dicitur enim primò de honesto, ut de principali analogato; quia ipsum est, quod per se convenit, & propter se appetitur; secundò de delectabili ut de Passione profluente ab honesto, & ipsum comitante; tertiò de utili, quod propter honestum appetitur. Honestum autem aliud Morale, aliud naturale.

VI. DEFINITIO.

Bonũ Morale. *Bonum honestum morale, est ratio Entis, quæ convenit personæ rationali ut utenti appetitu agente cum ratione, seu ut productiva est* (p) *actionum moralium.*

(o) S. Tho. 1. p. q. 5. art. 6. (p) *Defin.* 2. & 3.

Ex

EX hac definitione intelligitur quid sit ens morale, nempe quidquid spectat ad personam rationalem, ut rationalis est. est autem duplex, alterum latè, alterum presè sumptum. Morale latè sumptum, est ens spectans ad personam rationalem ut rationalis est, sive ea persona liberè operetur, sive necessariò. Morale presè sumptum, est ens ad personam rationalem spectans, ut ea præter usum rationis, habet libertatem, seu ut est causa libera. Regula autem ad discernendum quod sit bonum honestum morale, est recta ratio, seu Dictamen rectæ rationis. quamvis enim illud dictamen supponat honestum morale ut objectum suum, à quo specificatur, sitque proinde quid posterius illo: ex eo tamen posteriore cognoscimus quid honestatem moralem habeat, quid non habeat.

Bonum honestum naturale est, quod per se convenit naturis rerum, etiam ipsi naturæ rationali, licet non ut utitur ratione. ita sanitas, vita, & reliqua hominis commoda, honestatem habent naturalem.

VII. DEFINITIO.

Finis definitur à Philosophis, esse id, cujus gratia, seu propter quod aliquid est, aut fit. Finis.

HÆc definitio intelligitur ex ipsa vocis notione. Finis enim dicitur, quia finit, seu terminat aliquid. Id autem, cujus gratia aliquid est, aut fit, agentis intentionem, sive operationem terminat. ergo rectè Finis appellatur. Sunt & aliæ definitiones, quæ varias finis divisiones ac rationes explicant. Dicitur Finis cujus, cujus adipiscendi gratia agens movetur, vel operatur; ut est sanitas respectu medentis. Finis cui, cui alter finis procuratur, ut est Homo

Homo, cui sanitas quæritur. Finis actionis, terminus per illam productus, ut est Domus respectu ædificationis, Homo respectu generationis illius. Finis rei factæ, omnis usus, ad quem ipsa ordinatur, ut Habitatio respectu Domus, Contemplatio respectu Hominis. Finis formalis, operatio ut versatur circa objectum aliquod, ut visio beatifica circa Deum. Objectum autem, ut circa illud operatio versatur, dicitur Finis objectivus. Præterea operatio, & terminus illius, (q) Finis qui fit, dici solet: objectum autem, Finis qui acquiritur, & obtinetur. Finis, qui immediatè propter se amatur, dicitur Finis proximus. Ille verò, ad quem alter finis ordinatur, Remotus. Ille, in quo sistit operantis intentio, Finis ultimus appellatur. Finis ultimus secundùm quid dicitur, qui respectu alicujus intentionis, vel actionis est ultimus. Finis simpliciter ultimus, qui finis est respectu omnium rerum, & particularium finium, & coordinationum eorum. Finis ultimus negativè, qui ex vi alicujus intentionis ad alium finem non ordinatur. Finis ultimus positivè, ad quem media, sive fines medii referuntur, & in quo sistunt.

VIII. DEFINITIO.

Felicitas. (r) *Felicitas putatur esse Possessio boni optimi. &*, (s) *Vita optima, pulcherrima, jucundissima.*

HÆc definitio ex communi hominum sensu colligitur.

(q) *S. Th. 3. c. 8. c. 18.* (r) *Aristot. 2. Magn. Mor. c. 4.* (s) *Arist. 1. eth. c. 8.*

IX.

IX. DEFINITIO.

Objectum. *Objectum in quavis scientia propriè dicitur ea ratio communissima, quæ abstrahi potest ab omnibus, quæ considerat ea scientia, tum principiis, tum subjecto, tum passionibus. Ea verò ratio communissima, de qua communissima passio prædicatur in scientia, propriè subjectum appellatur.*

Hujus definitionis explicatio peti potest ex iis quæ de scientia sive in Logica, sive in Metaphysica disputari solent. Secundum hujus definitionis doctrinam dicunt aliqui objectum Physicæ esse ens naturale, quia hæc est ratio communissima, quæ abstrahi potest à principiis, subjecto, & passionibus, circa quæ versantur conclusiones scientificæ, seu partiales scientiæ in Physica totali: Subjectum communissimum, & prædicationis, Compositum naturale, de quo prædicatur communissima passio Producibilitas, seu Productio naturalis: Subiectum attributionis, Corpus naturale; cujus passio est Accidens Physicum, quod attributionem dicit ad corpus naturale.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Moralis disciplinæ divisione in speculativam, & practicam, & de Ethicæ natura, & methodo.

I. PROPOSITIO.

(a) *Disciplina moralis duplex, altera speculativa, altera practica.* Quotuplex sit.

(a) Vide Buridanum in 6. eth. q. 17.

tic

VT hujus Propositionis veritas appareat, sciendum est duplex esse genus veræ cogniti. onis, quæ ex alia præcedente cognitione colligitur, seu quæ arguendo, & ratiocinando percipitur: (b) altera, qua eas res contemplamur, quarum principia aliter sese habere non possunt, ut hominem esse compositum ex materia, & anima rationali; altera, qua ea consideramus, quæ esse aliter possunt, ut mihi esse Ethicam prælegendam. Illa cognitio, speculativa dicitur, quia tota in rerum contemplatione versatur, & sistit in illa: hæc autem practica nominatur, quia ejus consideratio est operativa, estque cognitio operis, & actionis exercendæ ut exercendæ. Practica enim vera cognitio est, quæ considerat ea, quæ possunt aliter verè se habere, id est, quæ possunt secundum veram, & rectam rationem uno modo, & alio se habere; ut Ego possum Ethicam prælegere, & non prælegere juxta rectam & veram rationem; ut pro varietate circumstantiarum, utrumque Judicium secundùm rectam rationem esse possit, Mihi esse Ethicam prælegendam, mihi non esse Ethicam prælegendam: at juxta veram rationem, non possum nisi ex corpore, & anima rationali constare; ut cognitio, quæ me hominem dicat alia forma substantiali constantem, quam anima rationali, nullo modo ullo tempore vera esse possit. Hujusmodi rerum cognitio, quæ non possunt alio modo se habere, speculativa est, ut docet Arist. 6. eth. cap. 1. eamque scientiam appellat cap. 3. cum alteram quæ versatur circa ea, quæ aliter se habere possunt cap. 4. artem, cùm est circa factibilia, cap. 5. Prudentiam vocet, cùm est circa agibilia. Jam in disciplina de Moribus utrũq; cognitionis genus reperitur tum speculativæ, tum

(b) *Arist. 6. Eth. c. 1.*

practicæ;

practicæ. Traduntur enim in ea Propositiones innumeræ ex aliis præcognitionibus collectæ, quæ circa objecta versantur, quæ non possunt alio modo se habere, ut est illa Propositio, Virtutes circa mediocritates versari. quod Judicium est æternæ veritatis, ut oppositum nunquam verum esse possit. Traduntur & aliæ propositiones, quarum objecta possunt aliter se habere, ut Depositum esse restituendum: contingere potest ut hoc tempore, huic personæ depositum non debeat restitui. Utrumque autem Propositionum genus ad Mores pertinet, ergo ad Ethicæ disciplinam. (c) Igitur duplex est disciplina moralis; altera speculativa, quæ non alio, quàm Ethicæ nomine videtur appellanda; altera practica, quam Prudentiam vocemus, quia præcipua ejus pars, quæ verè practica est, ad Prudentiam spectat, ut infra videbimus q. 4.

Contra hanc doctrinam objici potest. 1. Cognitio speculativa, quam suprà cum Aristot. scientiam appellavimus, non versatur circa agibilia, nec est propter operationem: at Ethica & agibilia considerat, & ordinatur ad rectè agendum. ergo universa disciplina moralis practica est. 2. Speculatio sive scientia non versatur circa singularia: Ethica tota circa actiones versatur, quæ singulares sunt, & circa singularia. ergo nulla disciplinæ moralis pars speculativa est. 3. Omnis scientia, seu omnis disciplina speculativa, aut Physica est, aut Metaphysica, aut Mathematica: at Ethica non videtur esse posse aliqua ex his.

Sed non est à Propositionis (d) doctrina discedendū. 1. Quia est magis consentanea iis, quæ docet Arist.

(c) *vid. Buridan. 1. eth. q. 1. ct 2.* (d) *Est aliquorum apud Alber. 1. eth. c. 4. & apud Burid. 6. eth. q. 17.*

6.

6. Eth. 2. Quia illa disciplinæ moralis pars, quam speculativam diximus, habet omnes proprietates veræ scientiæ, est enim de objecto, quod non potest aliter se habere, ut dictum est; habet conclusiones certas, necessarias, & evidentes, ut quælibet alia scientia: habet suas veras definitiones, causas, subjectum, passiones, ut clarissimè apparebit ex iis, quæ dicentur.

Ad 1. dicendum, Non tolli rationem speculativæ, ac veræ scientiæ ex eo, quòd objectum sit operabile, modo cognitio illa scientifica, & habitus ex ea productus sistant in cognitione tantùm veritatis, quæ est in objecto, nec ex se inclinent ad operandum illud objectum; quamvis possit illa speculatio & habitus deservire, ac ordinari ad formandam cognitionem, & habitum practicum. ita non tollitur à Physica, & Animastica ratio veræ scientiæ, quamvis ea utatur Medicina ad praxin medendi. Contemplatur ergo scientia objectum agibile, ut speculabile est, ubi ratio agibilitatis materialiter se habet; ex qua ratione materiali distinguunt aliqui scientias in practicas, & speculativas, atque ob id Ethicam vocant scientiam practicam.

Ad 2. Dicendum 1. Partem illam disciplinæ moralis, quam appellavimus speculativam, non versari circa singularia, sed contemplari omnia sub ratione universali. 2. Dicendum Posse etiam de singularibus esse veram scientiam, si considerentur in illis eæ rationes, quæ non possunt aliter se habere.

Ad 3. Dicendum, Ethicam esse partem Animasticæ, quæ est pars Physicæ. ens enim morale, quod ab Ethica consideratur, pars quædam entis naturalis est, quod est objectum Physicæ, ut clarè intelligetur

tur ex iis, quæ infra disputabuntur: habet eandem abstractionem cum Physica, nempe abstrahit à materia signata, sed non sensibili; & spectat ad contemplationem passionis, quæ fluit à composito quodam naturali scilicet Homine: ad eandem autem scientiam spectat considerare subjectum, & passiones ejus. quod si contemplari Potentiam intellectivam, quæ est passio, & potentia animæ rationalis, spectat ad Physicam; ergo & contemplari voluntatem, & operationes ejus. Ethica autem practica subalternatur scientiæ Physicæ, quæ est de anima rationali, ut Medicina practica scientiæ, quæ de Anima vegetativa, & sensitiva.

II. PROPOSITIO.

Prudentia duplex, altera agibilium universalium, altera singularium; seu altera practica, altera practicè practica.

PRobat hanc propositionem experientia. experimur enim duo genera judiciorum practicorum in agibilibus, alterum, quo judicatur, sive præcipitur v. g. cibo moderatè utendum; alterum, quod huic hoc tempore hunc cibi modum dictat. Habent autem hæc judicia diversitatem non solùm in eo, quod unum est de objecto universali, alterum de singulari; sed etiam ratione principiorum, ex quibus procedunt. Ad primum enim judicium rectè formandum satis est Ethica scientia, satis doctrina quæ habetur ex Doctoribus, & libris qui docent moralia. (c) ut secundum autem judicium communiter, & constanter rectè formetur, & experientia requiritur, quæ circa particularia versatur; & bonus habitus, sive virtus moralis in affectu. qualis

(c) *Arist. 6. eth. c. 12.*

enim

enim est finis, qui à voluntate intenditur, tale est judicium prudentiæ de mediis eligendis. voluntas autem habens bonos habitus solet bonum finem intendere. quare causa recti judicii circa media est probitas intentionis. Differunt ergo illa duo judicia non solùm penes objecta, ratione quorum videntur essentialiter differre, quia actus specificantur ab objectis; sed etiam ratione connotati, quia secundum judicium connotat virtutem moralem in voluntate, aut saltem bonam intentionem actu, quod non connotatur à primo judicio. Ex his autem colligitur differre etiam inter se habitus ex his duobus judiciis productos; quia habitus sequuntur naturam actuum specie distinctorum, à quibus producuntur. quorum adhuc habituum differentia colligitur ex eo, (f) quod posterior est magis activus quàm prior. multi enim non habentes cognitionem universalium magis activi sunt ex experientia particularium, quàm multi prudentissimi circa universalia. Quod autem utrumque judicium, atque uterque habitus Prudentia sit appellanda, ut eam Arist. appellat 6. eth. c. 7. ex Prudentiæ definitione intelligitur; quæ definitur, (g) Recta ratio agibilium, & (h) Habitus vera cum ratione activus circa ea, quæ & bona, & mala homini sunt. hæc utrique judicio, utrique habitui conveniunt. (i) Ferè autem non solet Prudentiæ nomine, nisi posterior actus, & habitus, qui circa singularia sunt, nuncupari, quia ea sunt immediatè activa; cum habitus practicus, & actus circa universalia remotiùs concurrant ad electiones, & actiones, & actu non agant; atque quod attinet ad exercitium actionum, se habeant ad modum specu-

(f) Arist. 6. eth. c. 7. (g) 6. eth. 13.
(h) 6. eth. 5. (i) 16. eth. 8.

lativi,

lativi. Hinc fit, ut non soleat dici prudens, qui tantùm rectè judicat de agibilibus in universum, neque qui probus non est. Possemus dicere absolutissimam Prudentiam aggregatum quoddam effectum ex utraque prudentia: in quo potiorem prudentiæ rationem obtineat posterior pars practica, id est, immediatè activa, seu immediatè actus exercitium attingens qui est electio & ejus praxis. quanquam dici etiam potest priorem partem spectare ad ethicam scientiam. quamvis enim secundum modum quia præscribit agenda, & secundum finem quia est propter praxim, habeat rationem practici; essentialiter tamen est speculativa, quia est de objecto, quod non potest aliter se habere. Sed de his clariùs infra.

III. PROPOSITIO.

Ethicæ (k) objectum est ens ad bonum hominis spectans, ut homo est, seu ad hominis felicitatem naturalem. cujus objecti præcipua pars est ens morale, id est, spectans ad felicitatem, quæ pertinet ad appetitum rationalem; à qua parte ethica scientia nomen accepit. (l) Hujus objecti pars illa, qua subjectum appellatur, proximum quidem est Hominis felicitas naturalis; remotum autem subiectum est ipse Homo ut capax felicitatis naturalis est; de quo subiecto prædicantur, & attributionem dicunt ad illud omnes hujus felicitatis proprietates; quæ sunt tertia objecti pars, cum prima sint felicitatis principia, & causæ, inter quæ numerantur media ad felicitatem.

(k) q. r. de f. 9. (l) Alber. Mag. 1. eth. Tr. 1. c. 5. Buri. 1. eth. q. 3.

HÆc propositio eodem modo probatur, quo probata sunt ea, quæ de objecto, ac subjecto Physicæ alibi diximus. eadem enim est Ethicæ speculativæ ac Physicæ paritas, cujus pars quædam Ethica est. In Physica autem diximus objectum Ens naturale, subjectum prædicationis Compositum naturale, subjectum attributionis Corpus naturale. In Ethica subjectum prædicationis omisimus, ne speculationem valdè metaphysicam, quamvis veram, consectaremur. Posset aliquis subjectum prædicationis dicere Bonum humanum, cujus communissima Passio sit Acquisitio, seu actualis existentia talis boni; quæ nobis non videntur neganda.

IV. PROPOSITIO.

Prudentiæ objectum, ens ad electionem, seu actionem pertinens, ut rectè agibilem. Subiectum præcipuum, & attributionis ipsa electio seu actio ut rectè agibilis; ad quam comparatur ut Passio finis tum intrinsecus, qui est ipsa actio rectè facta, seu actionis honestas; tum finis extrinsecus, ad quem contigerit actionem ordinari; atque simpliciter ipsa felicitas.

HÆc ita se habere suadent ea quæ aliàs diximus de objecto Logicæ practicæ. ubi probavimus subiectum disciplinæ practicæ esse id, quod agens cum ratione operatur; operationem autem includere non solùm materiam, in quam forma introducitur, sed ipsam etiam formam, ut etiam in omnibus operibus cernitur, quæ natura producit; inde fieri, ut in objecto disciplinæ practicæ, forma quæ introducitur, non possit habere rationem Passionis, de cuius ratione est ut contradistinguatur à subiecto, quare dicendum id, quod habet in practicis rationem

rationem Passionis, esse finem, qui operationem consequitur, & ad quem illa ordinatur, quod adhuc ex eo probatur, quia ut ex passionibus, & proprietatibus in speculativis subiecti naturam cognoscimus: ita in practicis ex fine intelligimus quale debeat esse opus agendum.

V. PROPOSITIO.

Ex his, quæ hactenus dicta sunt, intelligitur quid sit Ethica, seu disciplina moralis speculativa, nempe, Tum actus, tum habitus intellectualis scientificus, cognoscitivus felicitatis humanæ naturalis tum ex causis, tum ex proprietatibus. Ex qua ratione duplicem methodum colligimus, qua in contemplanda felicitate utendum sit, nempe, vel à proprietatibus ad naturam felicitatis procedendum, & ad ejus principia, & causas; vel ex principiis, & causis ad naturæ cognitionem, & ex hac ad cognitionem proprietatum. Neque verò alia methodus esse potest, quia cum scientia sit cognitio certa, & evidens ex alia cognitione deducta; cognitio antecedens, quæ certitudinem pariat cum evidentia, non potest esse nisi de re, quæ necessariam connexionem habeat cum altera re, quam volumus intelligere. non habent autem necessariam connexionem nisi causæ, vel natura cum suis proprietatibus.

Quid sit. Qui modus procedendi.

QUÆSTIO TERTIA.

De præcipuo Disciplinæ moralis obiecto, quod est Ens morale, sive spontaneum.

ANtequam de Prudentia dicamus, operæ pretium est ad reliqua meliùs intelligenda rationem quandam explicare utriusque cognitionis, & habitus intellectivi moralis, id est, Ethicæ, & Prudentiæ objecto communem, ac præcipuam; quæ est Ratio entis moralis, id est, entis spectantis ad appetitum rationalem. Diximus autem suprà q. 1. def. 2. Morem appellari habitum appetitus cum ratione operantis. ab eo more dictum est Morale quidquid ad eum morem spectat, nempe & effectus illius, ut sunt actiones humanæ per illum productæ, & objectum, & principia tum proxima quæ sunt actiones illum producentes, tum remota, ut est appetitus, à quo profluunt actiones. Cum hæc omnia dicantur moralia, prima ratio moralitatis ratione nominis est in habitu, à quo cætera denominationem sumunt, & quia in hac quæstione non inquirimus notionem nominis, sed rationem moralitatis in re: cum habitus habeat rationem moralis ex connotatione appetitus rationalis; ergo multo magis rationem moralis habet actio quæ immediatè, ac principaliùs procedit ab appetitu rationali, & à qua producitur habitus. Inquirendum est ergo primùm ratio moralitatis in actione, & videndum quid illa ratio sit, an aliquid intrinsecum actioni, an extrinsecum; deinde inquirenda in reliquis quæ moralia dicuntur.

PRIMA PROPOSITIO.

Quid sit. *Morale idem videtur esse, quod voluntarium, & liberum.*

1. HÆc Propositio colligitur ex iis, quæ in q. 1. def. 2. dicta sunt; ubi actiones morales dix-mus

diximus appellari tum eas, quæ ab appetitu proficiscuntur operante cum sola ratione; tum eas, quæ ab appetitu efficiuntur, ut utente non solum ratione, sed etiam libertate. Actiones enim primi generis voluntariæ dicuntur; actiones secundi generis appellantur non solùm voluntariæ, sed etiam liberæ. Idem est ergo Morale, quod voluntarium, & liberum. Sumimus autem hoc loco voluntarium pro eo quod pendet à voluntate sive per actum prosecutionis, sive per actum fugæ. Quæ ut melius intelligantur, tres rationes cognoscendæ sunt, Spontanei, Voluntarii, Liberi: quarum rationum quò quæque prior est, eò est universalior, & in posterioribus includitur; quò posterior, eò ferè perfectior. (*a*) Spontaneum dicitur, quod est ab appetitu agente cum cognitione objecti, quod appetitur: sive is appetitus sit sensitivus, sive intellectivus. illud ita definit Arist. 3. eth. c. 1. *Spontaneum esse videtur, cujus principium est in eo, qui agit, particularia cognoscente, in quibus actio consistit.* Eam definitionem probat ex ratione spontaneo contraria, quod est Invitum. Dicuntur enim Invita tum ea, quæ sunt contra appetitum, seu inclinationem agentis; (cujusmodi etiam de brutis dicuntur, quæ ut non solùm sensitivis, sed etiam sensu carentibus accidunt, ut lapidi sursum ferri, universaliore vocabulo violenta appellantur.) tum ea, quæ ab agente cum cognitione sine cognitione particularium fiunt; ut qui volens inimicum occidere, amicum ex ignoratione percussit, dicitur percussisse invitus. Spontaneum ergo est, quod utrique invito opponitur, nempe quod fit ex inclinatione, & cognitione, quæ sunt in agente.

2. Voluntarium, quamvis interdum (*b*) ampla

(*a*) *q.* 1. *def.* 5. (*b*) *S. Tho.* 1. 2. *q.* 6. *ar.* 1. & 2. *ad* 2.

significatione sumatur pro spontaneo; propriè ramen voluntarium dicitur, quod est à voluntate propriè dicta, id est, ab appetitu Intellectivo, hoc est, agente cum cognitione particularium, & dirigente media ad finem. hanc directionem præcedit (c) perfecta finis cognitio, quæ est cùm apprehenditur non solùm res, quæ est finis, sed etiam ratio finis & proportio ejus, quod ordinatur ad finem; non agunt eo modo bruta, quæ licèt cognoscant finem, & eorum operationes sint ad illum; non dirigunt tamen eas ad illum, ut faciunt agentia rationalia.

3. Liberum dicitur tum agens, tum effectus illius. Agens autem liberum est, habens appetitum, qui positis omnibus requisitis potest agere, & non agere. Id, quod à libere agente pendet, tum liberum, tum etiam voluntarium solet appellari, quod sit opus voluntatis, id est, Rationalis appetitus maximè proprium. Huic voluntario ita pressè sumpto duo opponuntur, Involuntarium, & Necessarium determinationis. quorum alterum tollit simpliciter rationem voluntarii, alterum rationem libertatis. Est porro duplex Necessarium, alterum Coactionis alterum Determinationis. Necessarium Coactionis est idem, quod violentum. Principium autem violenti semper est extrinsecum ei, cui accidit violentum. nihil enim violentiam patitur à principio intrinseco, id est, ab inclinatione, quam habet in se. Necessarium Determinationis est cùm principium est intrinsecum, sed tamen determinatum ad unum. quare voluntarium quidem est, non tamen liberum, quia appetitus positis omnibus requisitis non remanet indifferens ad utrumlibet, sed determinatus ad

(c) S. Tho. 1. 2. q. 6. ar. 2.

alterum

alterum, nempe ad agendum, vel non agendum, ad objectum amplectendum vel fugiendum. Hoc necessarium opponitur voluntario ut liberum est, ut autem absolutè voluntarium est, opponitur illi involuntarium. Tria autem dicuntur Involuntaria respectu voluntatis, seu appetitus rationalis. 1. Id, circa quod versatur voluntas actu fugæ. 2. Involuntarium est, Necessarium coactionis, seu violentum (*d*). Quamvis enim voluntas non possit pati violentiam per actum elicitum, quia omnis actus elicitus in voluntate, est inclinatio voluntatis, ac proinde est à principio intrinseco, cùm omne violentum sit ab extrinseco: potest tamen pati violentiam secundùm actus à voluntate imperatos, ut cum per violentiam exteriora membra impediuntur, ne imperium voluntatis exequantur. Potest etiam pati violentiam negativè à solo Deo, ut contingeret si posita visione beatifica Deus negaret suum concursum ad producendum amorem erga Deum; hoc enim esset contra inclinationem naturalem, quam habet voluntas ad amandum Deum clarè visum, cùm non possit habere inclinationem in oppositum ea visione posita. 3. Involuntarium est id quod nullo modo pendet à voluntate. In tertio genere involuntarii numerantur ea, quæ fiunt ex ignoratione particularium, & simpliciter ex ignorationes modò illa ignoratio non pendeat ex voluntate, quod accidit, cùm voluntas eam vult, aut potest tollere, & non tollit. Illud ergo dicitur involuntarium; quia cum voluntas non feratur in objectum, nisi prævia cognitione; quod nullo modo fuit cognitum, nullo modo potuit esse volitum.

4. Jam voluntarium pro libero sumptum du-

(d) *S. Tho. 1. 2. q. art. 4.*

plex est, alterum voluntarium directè, alterum indirectè. Directè voluntarium est, quod positivè pendet à voluntate, seu per actum elicitum voluntatis. Indirectè voluntarium est, quod quidem non pendet à voluntate per actum voluntatis elicitum, sed tamen ita se habet ad voluntatem, ac si voluntas actu positivo illud vellet, quod accidit ex eo, quod voluntas potuit illud impedire, & non impedivit; quare illud imputatur voluntati, ac si actu positivo fuisset volitum. Advertendum autem, interdum requiri non solùm potuisse, sed etiam debuisse voluntatem impedire. quia, ut dicatur esse voluntarius effectus secutus ex omissione alicujus actus, debet voluntas esse causa illius. est autem causa per actum volendi. At actus volendi, cùm non adest obligatio illum faciendi, non potest imputari voluntati. ergo cum non adest obligatio, nullum est indirectè voluntarium. Ita dicitur voluntaria navis submersio respectu nautæ qui eam submersionem potuit, & debuit impedire. (e) ita voluntaria omissio, seu negatio non solùm actus exterioris, sed etiam interioris, etiam actus ipsius voluntatis, cum voluntas debet, & potest actum efficere, & non efficit.

5. Rursus utrumque hoc voluntarium potest triplici divisione dividi. 1. In voluntarium in se, & in alio, i. in sua causa. Potest enim voluntas duobus modis in aliquod objectum ferri, aut immediatè in ipsum, aut non expressè in ipsum, sed in causam illius, ut autem dicatur aliquid volitum in causa, debet ea causa cognosci ut causa illius. 2. In expressum, & interpretativum. expressum est, quod actu voluntatis sive directo, sive indirecto, sive in se, sive

(e) *Durand. in 2. dist. 36. q. 2.*

in

in causa, realiter exprimitur. Interpretativum, quod licet actu voluntatis realiter non exprimatur, subintelligitur tamen actus volendi illud in aliquo actu expresso comprehendere, ut, cum aliqua lex non servatur Superiore advertente, interpretamur superioris consensum circa actum non observandi; &, cùm in aliquo casu interpretamur legislatorem voluisse tali, vel tali modo legem intelligi, licèt eum casum in lege non expresserit. 3. Involuntarium simplex, & mixtum voluntarium. simplex est, cùm voluntas ita fertur in objectum actu prosecutionis, ut non simul illud fugiat secundùm ullam rationem. (*f*) voluntarium mixtum est, quod simul cum fuga habet actum persecutionis; ut sunt ea, quæ fiunt ex metu, à quibus nudè, & per se consideratis voluntas abhorret, ea tamen omnibus circumstantiis perpensis amplectitur. sunt involuntaria secundùm suam rationem sumpta, v.g. Projectio mercium in mare, ut projectio est, & amissio bonorum; voluntaria secundùm circumstantias, ut projectio merciũ hìc, & nunc periclitanti. sunt ergo hæc voluntaria mixta. Porro mixtum in metu simpliciter voluntarium est, involuntarium secundùm quid. Illud enim simpliciter voluntarium censendũ est, quod præcipuam voluntarii rationem habet: cùm autem actiones versentur circa singularia, præcipua earum ratio pensanda est ex singularibus: voluntarium autem, quod est in metu, circa singularia est. ergo ipsum est simpliciter in metu, involuntarium autem secundum quid. Confirmatur, quia has actiones per metum factas consequi solet laus, & vituperatio, hæc autem voluntarium consequuntur.

(*f*) *Arist. 3. eth. 1.*

6. Posset quis contrarium probare. 1. Quod matrimonium ex metu factum est invalidum, ergo sim. pliciter involuntarium. 2. Violare ob metum aliqua præcepta non est peccatum. ergo non est simpliciter voluntarium. 3. Latro tenetur restituere pecuniam, quam illi viator ultrò dedit veritus ne interficeretur: at non teneretur, si datio fuisset voluntaria. 4. Arist. 3. eth. c. 1. *Spontanea igitur*, inquit, *hujusmodi* (quæ scilicet fiunt ex metu) *simpliciter verò invita, quippe cum tale quippiam per se eligat nemo.*

Sed contraria sententia est ejusdem Arist. in eodem loco, *Mixtæ igitur*, inquit, *hujusmodi actiones cum sint, spontaneis tamen magis sunt similes.* est Damasc. l. 2. fid. c. 24. S. Th. l. 2. q. 6. ar. 6. & aliorum.

Ad 1. Dicendum Matrimonium factum ex metu cadente in constantem virum, esse invalidum, non quod non sit simpliciter voluntarium; sed quod ejusmodi contractus propter rationes peculiares, debet esse undequaque voluntarius, & nullo modo coactus.

Ad 2. Dicendum esse præcepta quædam, quæ non obligant cum vitæ discrimine; ob id illa ex mortis metu violare non est peccatum.

Ad 3. Dicendum latronem ideo teneri ad restitutionem, quia censetur viator non habuisse voluntatem transferendi dominium suæ pecuniæ in latronem, sed tantùm exhibendi actu externo pecuniam.

Ad 4. Dicendum vocem illam simpliciter, esse æquivocam, & sumptam fuisse ab Arist. non ad significandam præcipuam rationem in re, sed rei naturam nudam, ac per se consideratam sine circumstantiis. nam quod ea, quæ ex metu fiunt, sint magis spontaneis similia docet ipse Arist. supra, & addit rationem, *Quippe*, inquit, *eligendæ sunt tunc, cum aguntur.*

7. An

7. An autem ad genus hoc voluntarii mixti ſpectat id, quod fit ex concupiſcentia?

Dicendum(g) Concupiſcentiam, qui eſt motus quidã proſecutionis in appetitu ſenſitivo, abſolutè facere voluntarium ſimplex. quia ſimpliciter voluntarium eſt, ad quod fertur voluntatis inclinatio: per concupiſcentiam autem fit ut voluntas magis feratur in objectum, quippe cùm illud cum majore appetibilis ratione proponatur ab intellectu jam excitato per concupiſcentiã. *Concupiſcentia.*

8. Objicies 1. Concupiſcentia, quia trahit ad objectum, quod ipſa proponit, minuit libertatem: at liberum eſt quoddam voluntarium. ergo admiſcet aliquid involuntarii. 2. Concupiſcentia cùm eſt vehemens, excæcat intellectum: excæcatio eſt quædam ignorantia: at quod fit ex ignoratione, involuntarium eſt.

Ad 1. Reſp. Liberum ſecundùm ſuam rationem formalem non eſſe idem, quod voluntarium, quemadmodum rationalitas non eſt idem formaliter, quod animalitas. Concedi ergo poteſt concupiſcentiam minuere rationem liberi in ſua radice, qui eſt intellectus, quia impedit illum ne conſideret rectè ſingula ſpectantia ad actum; ac proinde impedit intellectum, ne proponat voluntati objectũ debita cum indifferentia; unde fit voluntatem reddi magis determinatam ad id, quod proponitur ex concupiſcentia, ac proinde minui libertatem; (h) ex quo fit ut etiam minuatur peccatum: ex hoc autem non ſequitur minui rationem voluntarii; ut ſi minueretur ratio rationalitatis, ſeu intellectivi, non ob id neceſſarium eſſet minui rationem animalitatis, ſeu ſenſitivi.

(g) *Ariſt. 3. eth. c. 1. S. Th. 1. q. 6. ar. 7.*
(h) *S. Tho. 1. 2. q. 77. ar. 7.*

Ad

Ignoran-tia Ad 2. R. Non omnem ignorantiam esse causam involuntarii. est enim triplex ignorantia: Alia voluntaria, quia eam voluntas vult sive directè, ut contingit in ignorantia affectata, quam procurat voluntas, ne per oppositam cognitionem divertatur ab aliquo objecto, quod prosequitur; sive indirectè, ut contingit cùm voluntas potest, & debet ignorantiam removere, & non removet. Hæc ignorantia dicitur consequens, quia voluntatem consequitur, & ab illa pendet. Utrovis modo se habeat, non tollit voluntarium simpliciter; immo ignorantia affectata illud auget indirectè: sed tamen admisceat aliquid involuntarii secundum quid, non quidem per actum voluntatis explicitum, ut contingit in metu, sed implicitum, quatenus voluntas, si adesset cognitio, quam tollit ignorantia, actum illum non eliceret, quem posita ignorantia, elicit. Quod hæc ignorantia non tollat voluntarium simpliciter, innuit Aristot. 3. eth. cap. 1. cum ait, Ignorationem, quæ in electione consistit non esse causam inviti, sed pravitatis. Quod habeat aliquid involuntarii idem innuit, cum ibidem ait: *Ex iis, qui ex ignorantia agunt, quem facti pœnitet, peccasse invitus videtur.* Solent enim qui ita ex ignorantia agunt, postea facti pœnitere. Alia ignorantia est concomitans, quæ neque antecedit voluntatem causans actum illius, neque subsequitur pendens ab illo; estque cum quis efficit quidem aliquid ignoranter, sic tamen ut, si cognovisset, feciisset nihilominus; ut cùm quis occidit inimicum in silva, putans esse cervum. Hæc ignorantia nihil habet involuntarii voluntario contrariè oppositi, sed tantùm habet non voluntarium; quia nihil potest esse volitum, quod non sit cognitum. ergo occisio inimici non fuit voluntaria; neque tamen

fuit

fuit involuntaria, quia fuisset volita, si fuisset cognita. Docuit hoc Arist. 3. eth. 1. *Qui*, inquit, *cum ex ignorantia quippiam egerit, factum minimè ægrè fert; is sanè neque sponte egit id, quod ignoravit, neque invitus, cum non doleat.* Alia ignorantia est antecedens actum voluntatis, id est, non pendens ab illo, sed causans illum; quatenus ea posita sequitur actus, qui non fuisset sequutus posita cognitione ignorantiæ contraria; ut cum quis putans occidere cervum, amicum interficit. Hæc ignorantia cum nullo modo sit volita, efficit simpliciter involuntarium; quia ut ipsa simpliciter involuntaria est, ita & quod ex ea fit. Nihil hic, ut patet, est admixtum voluntarii respectu effectus secuti, quia talis effectus nullo modo fuit volitus. Ex his intelligitur primam, & tertiam ignorantiam esse causam involuntarii, tertiam simpliciter, primam secundum quid; & tantùm in prima esse voluntarium mixtum, sed non explicitè, quia involuntarium non est explicitum, ut in metu. Ex ignorantia autem, quam vehemens concupiscentia causat excæcando intellectum, & usum rationis tollendo, nihil efficitur involuntarii, nec voluntarium minuitur, sed liberum, quia, si illa concupiscentia posita esset in intellectu usus rationis, & cognitio perfecta de objecto, posset accidere, ut adhuc voluntas vellet prosequi objectum, & non fugeret illud. ergo cum concupiscentia prævertit rationem, in prosecutione voluntatis nihil est fugæ, seu involuntarii impliciti, seu subintellecti tunc, cum fit actus prosecutionis. signum hujus est, quod tunc non potest determinari quid operatura sit voluntas, accedente usu rationis. at in primi generis ignorantia semper subintelligitur actus fugæ, & voluntas dispositа ut fugiat. signum hujus est, quod ne fiat explicitè fuga, impeditur

peditur per ignorantiam affectatam cognitio signum, quod accedente cognitione, facti pœnitet eos, qui egerunt ex ignorantia. At non est dolor ejus, quod factum est per concupiscentiam tollentem usum rationis; quamvis in usu rationis, objectum respuatur.

Ex his quæ hactenus pro prædictæ propositionis explicatione disputata sunt, intelligitur ens morale idem esse, quod ens à voluntate, seu intectuali appetitu pendens agente cum deliberatione rationis, sive pendeat per actum prosecutionis, sive per actum fugæ; sive directè, sive indirectè; sive necessariò, sive liberè. Nunc videndum, quid sit in actibus à voluntate proficiscentibus, quod eos formaliter morales reddit.

II. PROPOSITIO.

Actus voluntatis formaliter morales sunt ex sola connotatione voluntatis, ut à qua dependent in fieri; voluntatis, inquam, agentis cum advertentia, seu deliberatione rationis. Quare ratio voluntarii, & liberi in actibus (i) quæ idem quod moralitas est, nihil est aliud, (k) præter illam connotationem voluntatis.

PRæcipua hujus Propositionis probatio ea est, Quod quidquid esse dicatur Moralitas in actibus præter ipsam connotationem voluntatis cum ratione agentis, aut superfluum est, aut ipsa morali-

(i) Prop.1. (k) *Ita videtur sentire* S.Th. in 2. d.4 q.5. Scot.ibid. & Durand.Valent.1.2.d.2.q.14. Pun.1.

tate

tate posterius. Ita non potest ulla Relatio rationis habere rationem moralitatis; quia voluntatis actiones nullo intellectu cogitante voluntariæ sunt, ac liberæ, & bonitatis, ac malitiæ moralis proprietates habent, nempe laudem, & vituperium, condignitatem ad præmium, ac pœnam. Non relatio realis, neque ullus modus, aut entitas alia superaddita entitati physicæ actuum: quia hæc ponerentur sine sufficienti ratione, & sola entitas physica cum connotatione voluntatis sufficit, ut dictum est.

Contra hanc doctrinam objici potest. 1. Ex ea sequeretur nullo modo inter se differre actus voluntatis naturales, necessarios, & liberos. 2. Quod dependentia in quolibet effectu est modus quidam distinctus à parte rei ab effectu. ergo ratio moralitatis in actibus est modus dependentiæ illorum à voluntate.

Ad 1. Respondendum est, hos actus quoad entitatem suam, præcisa omni connotatione potentiæ agentis, nihil inter se differre, ac posse accidere eundem actum modò esse naturalem, modò humanum, sed necessarium, modò liberum, pro ut voluntas influens in illum actum modò se habet sine debita rationis advertentia, modò determinatur ad unum, modò relinquitur indifferens, sed penes connotatum, id est, voluntatem, hoc vel illo modo se habentem, differunt inter se actus illi.

Ad 2. Dicendum velle Doctores aliquos dependentiam in effectu esse ipsam entitatem ejus cum actuali connotatione causæ, à qua est. sed etiam si dependentia sit modus, negandum est Moralitatem esse aliquid aliud præter modum physicum, qui idemmet esset, si idem actus, qui nunc est moralis, ex advertentia rationis, mox esset naturalis cessante advertentia.

III. PROPOSITIO.

Objecta actuum moralium voluntatis, sive sint actus aliarum potentiarum imperati à voluntate, sive alia objecta; item proprietates objectorum, & actuum moralium voluntatis, & ipsa voluntas, Moralia formaliter sunt per denominationem extrinsecam factam à connotatione illa, quæ est ex actionibus voluntatis, & ipsa voluntate agente cum ratione.

FUndamentum hujus Propositionis est, quod ea denominatio satis est ad ponendam rationem moralitatis in iis, quæ in propositione numerata sunt; & ipsa est prima ratio moralitatis. Quod clarissimum videtur in actibus exteriorum potentiarum à voluntate imperatis. illi enim invariati manentes modò morales sunt, modò solum naturales ex sola actione voluntatis facta cum advertentia rationis cum illa actio ponitur, aut tollitur. Intelligenda autem est ea actio poni, etiam si non explicitè ponatur, sed subintelligatur; ut contingit cum voluntas non fugit aliquem actum exteriorem, quem poterat fugere; tunc enim censetur voluntas illum voluisse. à quo actu interiore subintellecto denominatur actus exterior moralis. Est quiddam simile in operibus artificiosis, quæ si fiant à natura, naturalia dicuntur; si eadem sine ulla variatione fiant ab operante ex atte, artificiosa nominantur; quæ denominatio sumitur ab extrinseco, nempe ab operante ex arte.

IV.

IV. PROPOSITIO.

(l) Entis moralis primæ passiones duæ sunt, Bonitas, & Malitia, seu Honestas, & Turpitudo; secundum quas dividi ens morale solet in Bonum, & Malum morale, seu Honestum, & Turpe. Passiones.

CUm (*m*) Bonitas sit idem, quod perfectio conveniens subjecto illam exigenti: duplex autem subjectum esse possit, alterum intrinsecum, id est, non distinctum à parte rei à perfectione, quam exigit; alterum extrinsecum, seu distinctum: inde fit, ut in Moralitate actionum voluntatis, à quibus cetera denominantur moralia, duplex ratio bonitatis considerari debeat, altera qua moraliter sunt bonæ sibi, altera qua moraliter sunt bonæ alteri, nempe subjecto cum ratione operanti. (*n*) Bonitas moralis ipsis actionibus intrinseca nihil aliud videtur esse, quàm rectitudo ipsarum, seu adæquatio, & conformitas ad rectam rationem, quæ dictat pro ratione circumstantiarum, quas adesse contigerit, qua ratione agendum sit. Actiones enim, quæ cum advertentia rationis à voluntate procedunt, ea rectitudine, seu perfectione posita, bonæ dicuntur; ea sublata, existimantur malæ, ut entia naturalia bona dicuntur, cum habent perfectionem sibi debitã, mala cum non habent. Ex quo intelligitur (*o*) Malitiã huic intrinsecæ bonitati oppositam

(*l*) *S. Tho. 2. q. 18. ar. 1. Greg. Valent. ibid. d. 2. q. 23. Pun. 1.* (*m*) *q. 1. def. 5.* (*n*) *S. Th. 1. 2. q. 18. ar. 1.*
(*o*) *Valen. ibi. p. 3. & adducit S. Tho. & alios.*

nihil

nihil aliud esse, quàm carentiam, seu privationem rectitudinis, seu conformationis ad rectam rationem, quia (*p*) Bonitas dicit rationem perfectionis, seu entitatis: entitati autem opponitur non ens, ergo bonitati morali, quæ est rectitudo, primariò, ac directè opponitur Non rectitudo ea autem Privatio est, non negatio pura, quia semper aliquam actionem, saltem subintellectam, supponit ut sub. jectum, in quo ipsa Non rectitudo est. Ipsum autem subjectum Non rectitudinis, seu Actio non potest habere rationem malitiæ: quia ea etiam in genere moris ens quoddam est, ac proinde bonum; quia ens & bonum convertuntur, & idem à parte rei sunt. Præterea talis actio præcisa Non rectitudine, ac ordine ad naturam rationalem, de quo mox dicetur, non habet ex se difformitatem ad rationem, ergo non habet ex se rationem malitiæ. (*q*) Altera actionum voluntatis Bonitas, qua eæ moraliter bonæ sunt alteri, id est, homini cum ratione operanti, non solum est ipsa actionum rectitudo, & conformitas cum recta ratione; sed tota etiam entitas actionum, ut ea congruens est naturæ rationali, seu subjecto cum ratione operanti. Tota enim ea entitas pertinet ad esse morale, cum tota pendeat à voluntate cum ratione operante, ergo tota rationem bonitatis moralis habet: quippe cum nihil aliud sit bonum, quàm ens. Ex hac Bonitatis ratione intelligitur quid sit Malitia ei opposita. videtur enim esse non solum Difformitas ad rationem, sed tota ipsa entitas actionis, ut ea naturæ rationali non congruit, quatenus voluntaria

(*p*) *q* 1. *def.* 5. (*q*) *S. Tho. c.* 8. *c*, 9. §. 1. *Cajet.* 12. *q.* 18. *ar.* 5.

ria est. Quare Malitia actionis moralis voluntatis in ordine ad subjectum rationale, non solùm privationem includit, quæ est Ratio difformitatis ad rectam rationem; sed etiam rationem positivam actionis; ac proinde Bonitati moralì actionis non solum privativè, sed etiam contrariè opponitur. ut noxium, quod salubri opponitur in ordine ad corpus humanum, non solum dicit carentiam salubritatis, sed positivas etiam qualitates, humani corporis temperamento repugnantes. Quamquam autem tota actionis entitas mala est homini: ratio tamen cur mala sit, non est entitas, sed distormitas ad rationem seu privatio rectitudinis debitæ. Quare in hoc secundo malitiæ genere distinguenda est ratio materialis, & formalis. ratio materialis est entitas actionis, quæ ex se bona est; sed ex adjuncta privatione fit mala moraliter, id est, naturæ rationali non congruens quatenus subjectat privationem, & voluntaria est. Porrò Malitia hoc secundo modo sumpta est ratio abstracta à toto composito ex actione, & privatione morali, seu ab actione mala; ut Humanitas est ratio abstracta à toto composito, nempe Homine.

Ex iis, quæ de Bonitate, & malitia actus voluntatis dicta sunt, intelligere possumus quid sit Bonitas, & malitia moralis in objecto, circa quod ille actus versatur, & à quo specificatur, ut inclinatio quædam est ad illud. Cum enim objectum habeat esse morale per denominationem extrinsecam factam ab actu, ut Prop. 3. dictum est, eandem proinde bonitatem, & malitiam moralem habebit, quam habet actus. Quod adhuc suadetur ex eo; quia Bonitas, & Malitia moralis, ut vidimus in actu, aut sumitur ex conformitate, ac difformitate

cum

cum ratione recta; aut ex convenientia, & disconvenientia cum natura rationali: at neutrum horum objectum habet ex se, sed tantum ex eo, quod est volitum, seu volibile, seu voluntarium, hoc est, per denominationem extrinsecam sumptam ex actu voluntatis, per hanc enim solam rationem convenit, vel disconvenit rationi, ac naturæ rationali. ergo objectum eandem duplicem rationem habet, tum bonitatis, tum malitiæ moralis, quam diximus esse in actu. id est, Bonum est tum in ordine ad se, ut rectitudinem habet, & conformitatem cum ratione recta; tum in ordine ad naturam rationalem, ut ei consentaneum & conveniens est: malum est in ordine ad se, ex carentia rectitudinis, malum in ordine ad naturam rationalem, secundum omnia quæ habet. Sciendum autem, objectum se habere ut formam quandam respectu actus, quia specificat actum, & dat illi certam speciem in esse physico: vicissim autem actus dat esse morale objecto, & quod erat physicum in objecto reddit morale per denominationem extrinsecam, quia dum actus versatur circa objectum reddit illud voluntarium, ac dependens ab appetitu agente cum ratione. Hinc fit, ut actus voluntatis dicantur bonitatem, & malitiam, ac harum species sumere ex objecto. quia esse morale, quod habent, est idem entitativè cum esse physico, quod specificatur ab objecto. ut animal dicitur sanitatem habere à medicina, tanquam à causa efficiente, cum tamen medicina non sit formaliter sana, sed per denominationem extrinsecam ab effectu, quem producit in animali. formalis enim ratio sanitatis est, Bona corporis animalis temperies.

An autem Bonitas, & malitia ita se habent, ut necessariò altera ex his reperiatur in qualibet

actione

actione morali, id est, pendente a voluntate cum advertentia rationis? Ut melius dubium intelligatur, & ad illud facilius respondeatur, (r) Sciendum est appetitum tributum esse cuilibet rei, ut per illum quælibet res bonum sibi proprium procuret. quare appetitus rationalis tributus est homini, ut curet homo bonum sibi conveniens, ut homo est. Bonum autem conveniens homini ut homo est, sunt virtutes, & felicitas. Debet ergo hominis appetitus rationalis quippe operativus cum ratione, aut versari circa virtutum objecta, & felicitatem, quæ finis rationem habent, aut circa media ad illa. Ad mediorum autem rationem spectat etiam Remotio eorum, quæ impediunt assecutionem finis. (s) Quare quotiescumque homo facit aliquam actionem, quam actu non dirigit ad finem, quem diximus; actio illa mala moraliter est, quia non est conformis rationi rectæ ob carentiam finis. omnis ergo actio moralis, quatenus est in exercitio, seu actu pendet ab appetitu cum advertentia rationis operante (quam Theologi vocant actionem in individuo) aut bona moraliter, aut mala est. Confirmatur; Proprium est agentis rationalis ad finem ordinare id, quod agitur. ergo actioni procedenti à ratione deliberata debitus est aliquis rectus finis, ut si illo careat, eò ipso sit mala. (t) Si verò consideretur actio moralis, non ut est in exercitio, sed præcisè secundum suam speciem, id est, ut specificatur à suo objecto: potest contingere ut secundum suum objectum neque spectet ad

(r) *Vid. Valent. t. 2 d. 2. q. 13. p. 6.* (s) *S. Tho. 1. 2. q. 18. ar. 9. l. 6.* (t) *S. Tho. supr. ar. 8.*

bonum

bonum hominis, ut homo est, neque illi bono repugnet; ut homo festucam tollere; & talis actio secundum suam speciem indifferens est ad bonitatem, & malitiam formalem, quæ sumitur ex ratione boni vel mali humani; fiet autem determinatè bona, vel mala, cum veniet in exercitium. Sumet enim bonitatem vel malitiam, ex aliqua circumstantia, saltem ex fine. actio enim in actu exercito non potest abstrahere à circumstantiis. ut infra dicetur q. 5. Potest autem illa actio ut indifferens est secundùm suam speciem, dici materialiter bona in genere moris, quatenus cum ratione habet convenientiam indifferentiæ, ac ex se susceptiva est bonitatis formalis. Not. quod si spectetur bonitas in ordine ad meritum vitæ æternæ, posset contingere ut aliqua actio etiam in individuo sit indifferens. 1. nec bona, nec mala in ordine ad beatitudinem, vel pœnam; quia nec habet bonitatem meritoriam vitæ æternæ, nec ullam malitiam. Id videtur docere S. Bonau in 2. d. 41. 1. ar. 1. q. 3. Ita videtur contingere in homine existente in mortali, cum facit aliquod morale opus bonum: & hoc (u) modo videtur intellexisse Concil. Constant. sess. 15. cum damnat articulum dicentem, Nulla sunt opera indifferentia. Porrò Bonitas, & malitia formalis duplicem adhuc proprietatem habent, alteram (x) præmiabilitatis, & punibilitatis; (y) alteram laudabilitatis, & vituperabilitatis. Præmiabilitas est dignitas, seu aptitudo ad bonum rectè agenti conveniens ad bonum actum compensandum: Punibilitas, est aptitudo ad malum debitum malè agenti ad com-

(u) Vid. Valent. supr. (x) S. Tho. 1. 2. q. 21. ar. 3. & 4. (y) S. Tho. 1. 2. q. 21. ar. 2.

pensandum

penſandum malum actum. Compenſatio autem propterea facienda eſt, quod ex actu bonum aliquid, vel malum redundat in alterum. Is autem, in quem poteſt bonum, vel malum redundare, eſt vel ſingularis aliqua perſona, vel communitas, vel Deus. Laudabilitas, eſt aptitudo ad laudem. Laus autem eſt cognitio excellentis boni cum approbatione, & imputatione agenti illud. omne autem opus morale bonum ſuam habet excellentiam, quia convenientiam habet cum ratione recta, quod magnæ perfectionis eſt. Vituperabilitas eſt aptitudo ad cognitionem malitiæ moralis cum ejus improbatione, & imputatione agenti illud. Approbatio autem, & improbatio eſt judicium, quo judicatur res mente apprehenſa eſſe perfecta, vel imperfecta. Imputare autem agenti, eſt judicare fuiſſe in poteſtate agentis agere opus, vel non agere. Quare imputatio ſupponit libertatem in agente. Atque de his pro Ethica ſatis, nam fuſiorem horum diſputationem ſibi Theologia vindicavit.

QUÆSTIO QUARTA.

De Prudentiæ natura, & partibus.

IN hac quæſtione agendum eſt de Prudentia propriè dicta, quæ circa ſingularia verſatur, de qua cæptum eſt agi q. 2. Principio autem præcipua, quæ ad ejus naturam attinent, brevi deſcriptione complectemur; ex cujus explicatione tota formalis ratio Prudentiæ intelligetur. Ratio autem cur hoc in loco agatur de Prudentia, reddita eſt in hujus operis Proœmio.

PRIMA

PRIMA PROPOSITIO,
De formali Prudentiæ ratione.

Prudentia, est habitus Intellectus practici vera cum ratione activus, seu inclinans ad rectè statuendum per actum imperii quid in quovis casu particulari agendum sit circâ ea, quæ & bona, & mala homini sunt.

1. *Habitus.)* Non dicitur Prudens, qui unum, aut alterum actum prudenter elicit: sed qui consuevit prudenter operari. quod non contingit fieri sine habitu.

2. *Intellectus practici.)* Duæ sunt animæ intellectivæ, ut intellectiva est, partes, sive potentiæ, Intellectus, per quem cognoscimus, & voluntas per quam appetimus, vel respuimus, quod ab intellectu cognitum est. Intellectus, unus cum sit à parte rei (neque enim ulla ratio apparet, quæ satis sit ad distinctionem suadendam) per respectum ad actus, quos producit, & habitus, quos in se recipit, variis modis in plures partes distinguitur ratione. 1. Distinguitur in Mentem, & Rationem. (*a*) Mens, est ipsa intellectus essentia. Ratio, est ipse intellectus ut discursivus est. per hanc rationem ex entibus intellectualibus homines tantum rationales appellantur. 2. Ratio dividitur in superiorem, & inferiorem. (*b*) Ratio superior est, quæ versatur in æternis conspiciendis, aut consulendis. conspiciendis, dum ea in seipsis speculatur; consulendis, dum

(*a*) S. *Tho.*1. *p. q.* 79. *ar.*1. *ad* 1. (b) S. *Th.*1. *p.q.*79.*ar.*9.*ex S. Aug.*12.*Trc.*7.8.

ex

ex eis accipit regulas agendorum. Ratio inferior est, quæ circa temporalia versatur, in æternorũ genere Deus, & divina; in temporalium genere omnes creaturæ secundum esse naturale videntur ponendæ. 3. Dividitur intellectus in Speculativum & practicum. (c) Hæc autẽ divisio sumitur à fine, ad quem ex natura sua actus intellectus ordinantur. aliqui enim actus in sola veritatis speculatione sistunt, & hi speculativi nominantur; aliqui cognitionem ad opus ordinant, & dicuntur practici, ut suprà explicatũ est q. 2. prop. 1. Utrique actus tum speculativi, tum practici, aut circa principia versantur, quæ per se, ac primò sunt nota; aut circa ea, quæ ex aliorum præcognitione ratiocinando cognoscuntur. Ad omnes autem hos actus facilè, & eodem modo semper, & cum delectatione producendos dantur Habitus, pro actuum sibi respondentium varietate diversi. Præcipui, qui inclinant ad verum, ac proinde, quia reddunt intellectum bene dispositum ad actum rectum, virtutes intellectuales appellantur, sex sunt; tres in intellectu speculativo, Intellectus, Sapientia, Scientia; tres in practico, Synderesis, Prudentia, Ars. de his agit Arist. 6. eth. exceptа Synderesi, quam fortè vel sub Prudẽtia comprehendit, ut ei necessariò prærequisitam; aut potius sub intellectu quia essentialiter habet rationem speculativi, cùm sit de objectis, quæ non possunt aliter se habere, ut ex ejus definitione intelligitur. (d) Intellectus est habitus primorum principiorum, qui relinquitur ex actibus, qui circa illa versantur, & rursùm reddunt intellectum magis expe-

(c) *S. Tho. 1. p. q. 79. ar. 11. ex Arist. 3. de anim. tom. 49.*

(d) *Arist. 6. eth. c. 6.*

ditum ad similes actus eliciendos. Prima autem principia dicuntur propositiones, quæ per se notæ sunt, & non indigent ulla probatione, ut iis intellectus assentiatur, præter explicationem terminorum, ut est illud: Totum esse parte majus, huic intellectus assentitur statim ac totum, & pars quid significent, intellexit, dicuntur autem Principia, quia ex his devenitur in cognitionem aliorum, adhibito discursu. Hic habitus intellectus appellatur, eodem nomine, quo potentia intellectiva, cui inhæret, quia illi valde propinquus, & connaturalis est. (e) Scientia, est habitus ad rem demonstrandam, certóque concludendam idoneus, seu Qui ex primis & notioribus ad ignotiora progreditur, eaque aliter se habere non posse ostendit. Is habitus Scientia nominatur, quia tunc putamus nos aliquid scire, cùm certam ejus cognitionem habemus, cognitis ejus principiis. (f) Sapientia, est intellectus, & scientia de rebus nobilissimis, quæq; de principiis aliarum scientiarum judicat. Tribuitur huic habitui nomen sapientiæ, qua in unaquaque doctrina, & arte peritissimi quique sapientes appellantur. ergo per excellentiam, & absolutè sapientes appellandi, qui causas, & naturas omnium excellentissimas norunt. Ex his autem colligitur non differre sapientiam ab intellectu, & scientia, nisi ratione excellentiæ objectorum, quæ contemplatur. (g) Synderesis, est habitus principiorum practicorum, quæ nobis à natura indita sunt, ea sunt virtutum moralium fines, quibus positis fit progressio ad electionem mediorum; ut in Temperantia finis est, Esse delectationibus tactûs temperatè

(e) 6. eth. c. 3. (f) 6. eth. 7. (g) S. Th. 1. p. q. 79. ar. 12.

utendum

utendum. Hæc principia, ut patet, ad praxim tendunt. Quare quo ad modum practica sunt, licet quoad rationem essentialem sint speculativa, quia sunt de objecto, quod non potest aliter se habere. sunt autem de objecto universali, quia docent praxes universe, non attingendo singularia. Ex his autem principiis universalibus deducitur quid agendum sit circa singularia, & praxes circa illa. atque harum actionum, & praxium habitus Prudentia est. (*h*) Prudentes enim appellari solent ii, qui actiones dirigunt, ac sciunt consultare quid in quaque re agendum sit. ergo maximè, ac propriissimè Prudentes sunt ii, qui sciunt consultare quæ præcipua sunt inter consultabilia, nempe quæ ad bona hominis spectant, ut homo est: spectant autem maximè ad ea bona virtutes morales, & earum fines. ergo propriissimè Prudentia est is habitus, qui propositis per syndiresin virtutum moralium finibus, deducit ex iis quid circa eorum acquisitionem agendum sit. Quia verò sunt & alii fines, qui non spectant ad bonum hominis, ut homo est, seu non spectant ad honestum morale, sed naturale; quibus positis consultat intellectus, ac deliberat, præcipitque quid ad eorum acquisitionem agendum sit; habitus, qui ad eam consultationem, ac praxim inclinat, Ars appellatur: quæ definitur, (*i*) Habitus cum ratione conjunctus, ad efficiendum idoneus. effectio autem dicitur omnis operatio, quæ pendet à directione rationis, & non spectat ad bonum hominis, ut homo est. Porro artis definitio, quam tradimus, quòd vera sit, probatur ex eo, quòd nulla ars est, quæ non sit habitus cum ratione conjunctus, ad faciendum idoneus; & nullus talis habitus est, qui non sit ars. Est autem inter Artes

(h) 6. *eth.* 5. (i) 6. *eth.* 4.

differentia. quædam enim circa opus externum versantur; quæ post operationem opus relinquunt, ac proinde præter operationem habent opus pro fine; ut ars ædificandi, quæ post ædificationem domum relinquit. Quædam in sola operatione sistunt, nihilque post illam relinquunt; ut est ars syllogizandi, sive Dialectica. Priores maximè, ac propriissimè Artes appellantur: quia illæ maximè à Prudentia distinguuntur, cùm earum operatio sit propriissimè factio, quæ est objectum artis contradistinctum ab actione, quæ est objectum Prudentiæ. E posterioribus, quæ circa motum corporis versantur, ut Ars saltandi, sonandi, cantandi; medio quodam modo se habent, quæ verò mentis opera dirigunt, facultates potiùs quædam, quàm artes dicendæ sunt, deservientes Scientiæ, ac Prudentiæ, seu partes potentiales illarũ; ut sunt Logica, & Rhetorica. & videntur ad eum habitum reducendæ, cui deserviunt. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, intelligitur verum esse quod in Propositione dictum est, Prudentiam esse habitum intellectus practici. Porro dividi quartò solet Intellectus in (k) scientificum, & opinativum. in qua divisione scientificum minus latè patet, quàm speculativum. Speculativus enim intellectus dicitur, qui versatur in sola contemplatione veritatis, non progrediens ad praxim. potest autem contingere ut ea speculatio non sit evidens, quia non habet principia intrinseca rei, quæ contemplanda proponitur. scientifica verò speculatio est evidens. quare speculativus intellectus utramque speculationem complectitur tum scientificam, tum inevidentem, sive ea certa sit ex causis extrinsecis, sive etiam incerta. Opinativum autem latiùs patet, quàm practicum. con-

(k) 6. *eth.* 5.

tingit

tingit enim etiam in objectis speculativis opinari, id est, affirmare aliquid, vel negare, non quia scitur, sed quia videtur. Duplex autem opinio est, altera vera, altera falsa. Prudentia, & Ars, habitus practici, licèt semper opinativi sint, quia sunt circa singularia contingentia, quæ possunt aliter se habere, et præcipiunt fieri, non quod verè faciendum est, sed videtur esse faciendum: sunt tamen ex natura sua veri, quia eorum actus semper conforme sunt appetitui recto, ut infrà explicabitur §. 3. v. g. Prudentia posito appetitu finis honesti, expensis omnibus circumstantiis, verè, ac rectè præcipit hoc, vel illo modo aliquid agendum; quamquam ex parte rerum, in quibus versatur, propter earum inconstantiam, & varietatem contingere potest ut erret. Alterum autem genus opinionis est, quæ ex se non est vera, licèt interdum accidat esse veram, non est autem vera ex se, quæ in opinando non progreditur ex motivo certo, atque hoc opinionis genus in suis judiciis assentiri solet cum dubio, & formidine. Ex his colligitur, verba illa propositionis, quibus dicitur Prudentia esse habitus intellectus practici, potuisse etiam alio modo efferri, nempe, Habitus intellectus opinativi. Intellectus autem opinativus dici solet ab Arist. Diania; quamquam ille hoc nomine utitur interdum ad intellectum absolutè significandum. Nunc ad reliqua propositionis verba veniamus.

3. *Verâ cum ratione activus.*) Activus dicitur, id est, actionum operativus dirigendo illas, ac præcipiendo. qua particula tum à speculativis habitibus distinguitur, tum ab Arte, quæ factivus habitus est. Quid autem est in Prudentia vera ratio Judicium verum de agendis ab homine, ut homo est. agenda autem sunt ab homine quæ appetitui

recto conformia sunt. quare judicium verum est, cùm quæ dicit agenda, vel non agenda, verè ab homine habente appetitum rectum agenda, vel non agenda sunt. (l) Dicitur ergo recta ratio, seu judicium verum ex conformitate cum appetitu recto. Rectus autem appetitus ille est, qui appetit bonum hominis ut homo est. Hoc autem Bonum habet rationem finis, quia spectat ad ultimam perfectionem naturalem hominis ut homo est. Cognoscitur autem is finis per judicium synderesis. Quare ratio, qua Prudentia utitur, recta, seu vera est ex conformitate, quam ultimatè habet cum hominis fine, seu cum judicio synderesis. eadem proportionaliter dicenda de Arte, cujus judicium verum dicitur, cùm conformatur cum appetitu appetente bonum hominis naturale, * seu finem quem artis Idea præscribit.

4. *Inclinans ad rectè statuendum per actum Imperii:*) ut hæc melius intelligantur, intelligendus est ordo actuum tum voluntatis, tum intellectus, quibus homo progredi solet ad actionum praxim. principio autem explicandi sunt ipsi actus. Appetitionis, seu prosecutions actus in voluntate sunt, Voluntas, Intentio, Fruitio, Electio, Consensus, Usus. (m) Voluntas propriè dicitur ille actus, quo appetimus aliquod bonum absolutè, non referendo illud ad aliud bonum, quod bonum dicitur Finis, sive ex se referatur ad aliud, sive non referatur: quia à voluntate appetitur propter se, saltem in actu exercito. Denominatur autem ille actus voluntas, à potentia, à

Voluntas.

(l) *Aristot. 6. eth. 2. leg.* S. *Tho.* 1. 2. *q.* 57. *ar.* 5. *ad* 3. * *leg. Cajet.* 1. 2. *q.* 57. *ar.* 5. (m) *Gregor. Arm.* 1. *d.* 3. *q.* 1. *ar.* 1. *Cajet.* 1. 2. *q.* 8. *in princ.*

qua

qua est, quia simplex est, & absolutè tendens à potentia in objectum. (*n*) Intentio, est actus voluntatis circa finem ab intellectu propositum ut prosequendum per aliqua media. Dicitur actus voluntatis quia intendere est in aliud tendere; id autem motum dicit, movere autem se, & alias potentias ad finem prosequendum ad voluntatem spectat. quia finis habet rationem Boni; Bonum autem est objectum voluntatis. Dicitur esse circa finem, ut prosequendum per aliqua media: quia tendentia in aliquid tanquam in terminum, per media esse solet. (*o*) Fruitio, est delectatio de bono, quod possidetur. Delectatio autem de bono possesso, nihil aliud videtur esse, quàm quies quædam amoris. quare Fruitio ad voluntatem spectat, quia amor actus voluntatis est. confirmatur. Quia Fruitio, ut & Fructus, habent quandam rationem ultimi consequentis ad cæteras operationes. Habet autem magis rationem ultimi voluntatis actus, quam intellectus; cùm voluntatis actus non sit, nisi consequatur ad actum intellectus. Atque hi tres actus, Voluntas, Intentio, Fruitio, sunt circa finem, sive sit finis ultimus, sive medius. Electio, propriè est ille actus, quo appetitus amplectitur illud medium, quod intellectus animadversis aliis mediis ad finem, concludit per discursum præ aliis esse amplectendũ. Objectũ ergo electionis est mediũ, idq; quod in nostra est potestate, ut habet Ar. 3. eth. 2. quia electio est de mediis ad finem prosequendũ; non prosequimur autem

Intentio.

Fruitio.

Electio.

(*n*) *S. Th. 1. 2. q. 12. ar. 1.* (*o*) *Aug. 1. de doct. Christiana. c. 4. & lib. 10. de Trin. c. 10. S. Th. 1. 2. q. 11. ar. 2.*

finem, quem prosequi non est in nostra potestate, et quo etiam colligitur electionem esse eorum, quæ per nos aguntur, quia finis vel est aliqua nostra actio vel alia res, circa quam aliqua nostra actione versamur. Posset autem electionis nomen latius usurpari, ut eligi dicatur omne illud, quod ratio concludit esse aliis quomodocunque anteponendum; & sic etiam actiones per alios exercendæ possunt cadere in electionem; immo etiam res aliqua absolutè considerata abstrahendo ab actione, ut si quis deliberaret utra res sit perfectior inse; & amore dignior. Ex dictis colligitur, electionem, licet sit actus voluntatis circa medium; (p) connotare tamen duo, nempe & Judicium intellectus de medio ex multis eligendo, & actum intentionis circa finem per media prosequendum. Posset autem contingere, ut non sit nisi unicum medium ad aliquem finem, & ut intentio circa finem non sit actu cum est actus appetitus circa medium; & in utroque casu non videtur negandum eam medii appetitionem esse veram electionem, modo ita præcesserit intentio finis, ut intelligatur implicitè in appetitione medii. non enim est appetitio medii ut medii (quod requiritur ad veram electionem) nisi id, quod appetitur, actu, vel virtute referatur in finem; quod sit per actualem, vel implicitam connotationem intentionis finis.

Consensus. (q) Consensus est actus voluntatis, quo illa se applicat ad id, quod est ei per consilium ab intellectu propositum tanquam expetendum. Idem autem videtur esse à parte rei consensus, quod electio, quia utraque est de medio; quod per consilium proponitur expe-

(p) *Arist. 3. eth. c. 2.* (q) *S. Th. 1. 2. q. 15.*

tendum.

tendum. Differunt autem ratione; quia eadem appetitio quatenus absolutè sequitur judicium intellectus, dicitur consensus: quatenus verò est potius hujus medii, quàm aliorum, aut simpliciter est circa medium, & quatenus connotat intentionem finis, electio appellatur. (r) Usus est actus voluntatis, quo illa potentias applicat ad operandum, & assumit aliquid in facultatem suam, seu, est volitio efficax, qua volumus aliquam potentiam exercere operationem suam. ex quo intelligitur objectum usus esse Medium, quia ad, quod ad aliud refertur, medii rationem habet. Potentiæ, quæ à voluntate applicantur, sunt tum intellectus, tum inferiores potentiæ, tum ipsamet voluntas. Quamvis autem & usus, & electio sint circa medium, non sunt tamen semper idem actus, tum quia usus potest interdum esse ante electionem, ut cum voluptas applicat intellectum ad consultandum de mediis; tum quia cum usus est post electionem, potest contingere, ut facta electione nondum applicetur potentia ad exequendum, seu operandum objectum electionis. Quod si quando contingat actum esse eundem electionis, & usus, ut cum intellectus utrumque simul proponit, medium, & executionem ejus: tunc idem actus voluntatis erit electio, ut tendit in medium utile ad finem; usus, ut tendit efficaciter in executionem ejus. atque ut electio spectat executionem præcisè ut medium, ut usus directè tendit in potentiam, impellendo eam ad exercitium operationis. Jam ab hoc actu voluntatis, qui præcipuè, ac propriè usus est, denominantur etiam usus tum actus intellectus, quo usus voluntatis dirigitur (intellectus enim judicio, & im-

usus.

(r) *S. Th. 1. 2. q. 16.*

perio suo voluntatē dirigit, ut potentiis utatur) tum operatio aliarū potentiarū, quatenus dependet ab usu, seu applicatione voluntatis. Est & alius voluntatis actus, qui Velleitas appellatur. est autem (s) Velleitas complacentia quædā de actu voluntatis futuro sub conditione, id est, qui fieret si aliqua conditio adesset, vel si res esset possibilis, ut est is actus: Vellem volare si fieri posset: qui actus est complacentia de voluntate volandi, quæ non est, sed futura esset, si volatus mihi esset possibilis. Veniamus nunc ad actus intellectus, quibus ad actionum praxim progredimur. ii sunt, Consilium, seu Deliberatio, seu Consultatio, & Imperium. (t) Consilium duos actus habet, Quæstionem, seu Inquisitionem, & Judicium. Inquisitio, est actus, quo suppositā intentione finis, ratiocinamur circa media, inquirendo illa, & examinando quid valeant ad finem. Judicium, est actus, quo posita inquisitione, per rationem concluditur quid sit agendum. (u) Materia, seu objectū Consultationis, ut docet Arist. 3. eth. cap. 3 est Bonum contingens situm in potestate nostra, arduum, quæsitum ob finem. Bonum, (x) quia bonum omnia appetunt. Contingens, quia de iis, quæ aliter fieri non possunt, non est consultatio. Situm in nostra potestate, quia nemo mentis compos, consultat de rebus fortuitis, aut iis quæ pendent ex arbitrio aliorum, quod nos impedire non possumus. Arduum, quia de levioribus, vel facillimis & notissimis, ut plurimum deliberat nemo. Quæsitum propter

Velleitas.

Consilium.

(s) *Greg. Valent.* 10. 2. *d.* 2. *q.* 8. *p.* 2. *infi.* (t) *Cajet.* 1. 2. *q.* 14. *ar.* 1. (u) 6. *eth.* 9. (x) *sup. q.* 2. *def.* 5.

finem

finem, nam de fine non est deliberatio: nisi ordinetur ad alium finem, & tunc se habet ut medium. Porro ordo, quo Deliberatio procedit, est Resolutorius, id est, ab effectu ad principium ipsius, nempe ab eo, quod est in executione ultimum, & in intentione habet rationem finis, & primi ad primum, à quo debet executio incipere, ut sequatur effectus, qui intenditur, id est, finis. Proposito enim fine aliquo, dubitat mens quid agendum ad illum assequendū, & inquirit varias vias, quo usque inveniatur potissima, & ibi sistit inquisitio; indeq; incipit executio. Imperium, est actus intellectus; quo cum intimatione quadam sibi homo proponit quid agendum sit. Qui actus differt à judicio, quia judicium dicit tantùm quid sit agendum, & exprimitur per verbum indicativi modi, Hoc est bonum, Hoc fugiendum: at Imperium est proximè, ac immediatè activum, & significatur per verbum Imperativi, Fac, &c. Quamquam autem ea intimatio est essentialiter actus intellectus, quia intimare est ordinare, quod est cognitio exercitii, seu actus à potentia executiva in praxi ponendi: semper tamen est conjuncta cum actu voluntatis. Nihil enim præcipitur faciendum, nisi voluntas illud velit præcipi, ut omnes experimur: quare ea intimatio quo ad exercitium, seu in genere causæ efficientis pendet à voluntate. Non enim format eam intimationem intellectus, nisi motus à voluntate. Movet autem voluntas, quatenus vult exire in actum secundum, seu elicitum volendi, & non potest (cùm ipsa sit cœca) nisi simul adsit cognitio objecti. Eo ergo modo, quo voluntas est principium sui actus, est simul principium actus intellectus intimantis, ex quo sequitur, ut simul tempore sint actus volendi, & *Imperium.*

intimatio

intimatio; sed voluntas in genere causæ efficientis, seu moventis est prior natura actu intimationis. Intimatio autem in genere causæ formalis est prior natura volitione, quia illam specificat. Ex his colligimus, posita intimatione, necessariò ex hypothesi poni actum voluntatis; quia simul uterque actus fit, & pendet ab eodem principio, nempe voluntate. (z) Porro duplex ea intimatio est, altera ea quæ concomitatur omnem simpliciter actũ voluntatis, necessaria voluntati ut exire possit in exercitium volendi, ut explicatũ est. Altera, quæ consiliũ, & electionẽ consequitur; quæ intimatio executioni mandat, quod per electionem est volitum atque hæc intimatio nobis est magis nota, quia sit post consultationem, multis priùs actibus præcedentibus: priorem autem vix advertimus, quia per eam nos determinamus ad appetendum simpliciter, vel intendendum finem, sive objectum. Rursum posterior intimatio duobus modis se habere potest. vel enim intimamus voluntati quid ab ipsa tantùm agendum sit, vel simul quid per ipsam sit agendum ab aliis potentiis. In hoc secundo modo intimationis sæpissimè contingit separari usum ab imperio, id est, non fieri actum usus, cùm sit actus imperii: quia non semper consequitur actus aliarum potentiarum ad imperiũ intellectus. Non potest autem dici propriè usus, nisi cum actu adest id, quo uti volumus; quod in casu posito est exercitium aliarum potentiarũm; quod non adest cum est actus imperii. ea porro quæ imperantur, seu actui imperii subjiciuntur, sunt (a) 1. Omnes actus intellectus, quoad exercitium. Pendent enim omnes à nostra libertate ut fiant.

(z) *Gregor. Valent. to. 2. d. 2. q. 12. p. 1.*
(a) *S. Th. 1. 2. q. 17. ar. 5. 6. 7. 8. 9.*

Quo

Quo ad ſpecificationem autem, id eſt, ut actus intellectus ſit aſſenſus, vel diſſenſus, non pendent à noſtro imperio, ii, qui habent cauſas neceſſarias, & convincentes intellectum. nemo enim poteſt non aſſentiri primis principiis, & concluſionibus demonſtratis per illa. Pendet autem à noſtro arbitrio aſſentiri, vel diſſentire cum non ſuppetit cauſa convincens; atque ita pendet à nobis relinquere opinionem magis probabilem, & adhærere minus probabili; niſi per errorem putemus rationes opinionis magis probabilis eſſe neceſſarias. 2. Imperari poſſunt actus voluntatis, ut patet experientia, 3. Actus appetitus ſenſitivi imperantur quidem, ſed non omni ex parte. Imperantur quatenus pendent ab imaginatione, quæ ſubeſt imperio rationis: quare adhibita, vel remota imaginatione poſſunt concitari, & removeri. Non omni ex parte imperantur, quatenus nobis invitis interdum concitantur, & nobis volentibus non concitantur. 4. Actus membrorum exteriorum, qui pendent à potentiis ſenſitivis, quantum eſt ex ſe, omnino ſubduntur imperio rationis, quia cum non ſint membra capacia cognitionis, non habent objectum, per quod removeantur ab obtemperando rationi, ſed quatenus membra moventur immediate per potentias ſenſitivas, poteſt contingere ut potentiis ſenſitivis non obtemperantibus rationi, neque membra obtemperent. Actus autem animæ vegetativæ non imperantur, nec membra ut pendent à potentiis ejus animæ; quia nihil eſt capax imperii, niſi capax ſit apprehenſionis; non eſt autem capax apprehenſionis hæc anima. Quamvis autem actus hujus animæ, ut Nutritio, non ſint in noſtra poteſtate, eſt tamen in noſtra poteſtate applicatio appetitus ſenſitivi membrorum, & aliorum, quæ ad animæ vegetativæ

actus

actus pertinent. Jam verò sciendum, quamvis imperium stricto modo ita sumatur, ut hactenus explicatum est, sumi adhuc latiùs pro Actu, quò superior aliquis imperat suo subdito, ut aliquid faciat, atque hæc imperii significatio est primaria, ad quam analogiam dicit 1. Qui vis actus voluntatis, aut rationis, ex quo alius actus humanus consequatur. ita actus judicii, & omnis actus voluntatis, qui impellit ad alium actum, imperium appellari potest. secundum hanc acceptionem solemus dicere unam virtutem alteri imperare, cum ex unius virtutis actu, ut charitatis, impellimur ad exercendum actum alterius virtutis, ut Misericordiæ. 2. Analogiam ad imperium superioris dicit ea intimatio, quæ supra explicata est, quæ modo magis stricto Imperium appellatur. Hæc intimatio, cum ad electionem consequitur, Prudentiæ actus est, quam in Propositione diximus inclinare ad rectè statuendum per actum imperii, &c. Quod antequam probemus, cognoscendum est ordo, qui est in actibus tum intellectus, tum voluntatis, quibus ad electionem, & actionem progredimur. Actionem nunc voco actum ultimum voluntatis, qui consequitur ad imperium, quod sit post electionem & specificatur ab illo; item operationem quarumcunque potentiarum ab eo voluntatis actu pendentem. Ordo ergo actuum is est. 1. Apprehensio finis, id est, rei alicujus absolutè secundum se. 2. Judicium, quod ea res sit conveniens, id est, bona. 3. Voluntas, qua placet homini, sive probatur res ipsa. 4. Apprehensio, quòd ea res sit possibilis ad consequendum. 5. Intentio, quæ est appetitus eam rem consequendi. 6. Usus, quo voluntas applicat intellectum ad consultandum de mediis. quanquam hic actus non est

Actio

semper

semper explicitus; sed subintelligitur. 7. Consilium, quo consultantur media, & concluditur quod sit aliis præferendum. 8. Consensus voluntatis, & electio. 9. Imperium, quo intimatur voluntati ut utatur potentiis executivis. 10. Usus, quo voluntas applicat efficaciter potentias ad executionem. 11. Ipsa potentiarum executio, quæ, si per eam obtineatur finis, est realis consecutio ipsius. 12. Fruitio, sive delectatio, & quies appetitus in re jam obtenta. Ante omnem autem actum voluntatis, seu simul cum omni actu voluntatis est prior illa intimatio, de qua supra dictum est. In hoc actuum ordine ultimus actus, qui ad intellectum spectat, est imperium, quod ad electionem consequitur. ad hoc imperium rectè formandum dicimus potissimam, ac formalem Prudentiæ rationem positam esse. Probatur 1 Ex Arist. 6. eth. c. 12. & 13. qui ait non posse quempiam prudentem esse nisi bonus sit. Hoc homini semper competit ratione imperii, quia hoc necessariam connexionem habet cum appetitu recto, à quo pendet, & cum actione recta voluntatis, quam specificat, ut supra explicatum est. non competit autem semper ratione aliorum actuum intellectus, ut consilii, & judicii, quia consultare, & judicare bene etiam mali possunt. Præterea 6. eth. 9. Prudentia dicitur esse præceptiva, non indicativa. 2. Prudentia definitur (b) Habitus vera cum ratione activus. Hoc munus immediatè exercetur per actum imperii, ergo ratio Prudentiæ in primis convenit habitui, qui in hunc actum inclinat. 3. (c) Si quis contra prudentiam peccet sciens, & volens, magis peccare censetur: si quis

(b) *Arist. 6. eth. c. 11.* (c) *Arist. 6. eth. c. 5. S. Tho. 2. 2. q. 47. art. 8.*

autem

autem contra artem aliquam peccat sciens, & volens, minus peccare putatur, quam si peccet ignorans. Id scilicet ex eo contingit, quod actio artis propria est in judicando, cui opponitur ignorantia: Prudentiæ autem actio in rectè imperando. imperfectio autem recto magis opponitur electio prava ex malitia, quam ex ignorantia. Atque hæ rationes videntur sufficere in re morali. Porrò quia Arist. 6 eth. c. 5. & 11. Consultationem, & Judicium dicit esse actus prudentis; & solent prudentes dici, ac putari, qui rectè deliberant, ac judicant de agendis: ideo dicendum etiam actus Consultationis, & Judicij ad Prudentiam pertinere; non quidem ad rationem formalem illius, ad quam spectat imperium, ut rationes allatæ suadent; sed ad rationem materialem, ut pertinet materia prima ad Physicam hominis essentiam; sive ad rationem potentialem, ut animæ potentiæ ad animum pertinent, quia ei deserviunt in operando. (d) Dicendum ergo ut homo est quid compositum ex corpore, & anima rationali, & ut anima habet compositionem cum suis potentijs; ita perfectam Prudentiam esse habitum, quemdam ex quatuor habitibus compositum, Eubulia, Synesi, Gnome, Prudentia prælè sumpta; quorum tres priores se habeant ut materia, vel partes potentiales, ultimus ut pars formalis. & essentialis illi enim ad hunc ordinantur, & huic deserviunt (e) Eubulia est habitus, *Eubulia.* qui circa rectam consultationem versatur. (f) Recta autem consultatio est, quæ & bonum sibi finem proponit, & media ad illum assequendum secta inquirit; nec præceps in deliberando est, quod ex vehe-

(d) Bwid. 6. Eth. q. 18. (e) Aristot. 6. eth. 9. (f) Vid. Burid 6. et q. 18.

menti

menti cupiditate contingere solet; nec nimium tarda, sed matura, ac lentè festinans; & tempestivè ad consulendum accedit, ne rei bene gerendæ occasio dilabatur. (g) Synesis, quæ & Perspicacia, est habitus inclinans ad rectè secundū leges communes, & ordinarias judicandum de singularibus agibilibus quæ cadunt sub imperium Prudentiæ. *Synesis.*

(h) Gnome est, habitus inclinans ad rectè de singularibus agibilibus judicandū præter communes regulas secundum altiora quædam principia, seu secundum rationem naturalem, cum lex alia deficit. ad hunc habitum spectat, exempli causa, judicium de non reddendo impugnatori patriæ depositō; & de venia danda quibusdam erratis; & Judicia, quæ ex æquo, & bono feruntur. Hi tres habitus, & inter se, & à Prudentia prælè sumpta, & à cæteris habitibus intellectualibus distinguntur. Differunt inter se, & à Prudentia tum ratione objectorum, quæ diversa inter se sunt, & habentia peculiares difficultates, ut ex iis, quæ hactenus dicta sunt, intelligi potest; tum quia contingit interdum separari: accidit enim interdum aliquos esse Bene Consultivos, non Judicativos; aliquos bene judicare vel secundum communes leges, non secundum altiora principia; aliquos eum hæc habeant, non tamen esse activos per actum Imperii, & cum cetera sint illis facilia, habere tamen magnam difficultatem in exeundo in actum actionis. Quid autem hi habitus differant à cæteris habitibus intellectualibus, clarè intelligitur ex iis, quæ supra in hanc primā Propositionē diximus de intellectu speculativo,

(g) *Arist. 6. eth 10. S. Tho. 2. 2. q. 51. ar. 3.* (h) *Arist. 6. eth. 11. S. Th. supra ar. 4.*

&

& practico. Nos in posterum cum fine addito prudentiam nominabimus, intelligi volumus aggregatum ex his quatuor habitibus, Eubulia, Synesi, Gnome, Prudentia præcisè sumpta. Solet etiam Prudentia dici quæcumque veri cognitio, quæ humano studio comparari potest, sive ea sit practica, sive speculativa, quæ etiam Sapientia nominari solet. sumitur interdum pro Ethica, seu scientia morali. Nobis de his amplis Prudentiæ significationibus agendum non est. Nunc ultimas Propos. particulas explicemus.

5. Circa ea, quæ & bona, & mala homini sunt) His verbis explicatur differentia, qua Prudentia differt ab Arte; de qua differentia, dictum est §. 2.

Nunc videndum esset An Prudentia virtus sit, & cujus generis, sed de his commodiùs infra cum de divisione virtutum. Pergamus ad reliqua, quæ faciunt ad Prudentiæ naturam meliùs intelligendam. ea sunt, Objectum, quod causæ formalis rationem habet, Finis, Subjectum, Efficiens, Proprietates.

II. PROPOSITIO.

De Objecto.

Prudentiæ objectum est, Singulare agibile conforme appetitui recto, seu Medium ad fines quos intendunt virtutes morales.

1. Quod (*i*) versetur Prudentia circa singularia probatur 1. Auctoritate Arist. 6. eth. c. 8. ubi

(*i*) *Vid. Burid. 6. eth. q. 16.*

docet

docet Juvenes non esse prudentes, quia in rebus singularibus Prudentia versatur, quarum cognitio usu comparatur: & Prudentiam non esse scientiam, quia scientia universalium est, Prudentia singularium. 2. Ratione, Quia prudentia est habitus activus: actio autem circa singularia versatur. & quamvis ab omnibus singularibus abstrahi possit conceptus communis: non respicit tamen prudentia, ut activa est, sua objecta secundùm illum conceptum, sed ut singularia sunt; quia tendit ad illorum existentiam, quæ non est nisi cum determinatione rei, ac singularitate; quidquid enim existit, determinatum, ac singulare est. Non solum autem secundum actum imperii, quod immediatè praxim attingit, Prudentia circa singularia versatur; sed etiam secundùm actum Deliberationis, & Judicii: quia hi actus, quamvis interdum aliquid universale enuncient; necessarium tamen est ut ultimatè ad singularia descendant; cum inquirendum sit, & judicium ferendum de mediis, quæ venire debent in praxim, quæ non possunt esse nisi singularia. Dicet quispiam, Legislatorum Prudentiam circa universalia versari, quia leges, circa quas condendas eorum Prudentia versatur, universale objectum habent. Respon. Legem, ut est objectum Prudentiæ, quæ est in legislatore, esse quid singulare. Deliberat enim legislator an his, & his circumstantiis positis hæc lex condenda sit, & statuit esse condendam, totum autem hoc singulare quid est. ut autem lex habet ordinem ad alios, quos dirigit, ipsa particulare objectum cum sit ad legislatorem comparata, habet objectum universale, quia in communi præcipit quid agendum sit.

2. Quod objectum Prudentiæ sit agibile, intelligitur ex iis, quæ supra diximus Prop. 1. §. 4. cum

cum electionis, & consilii rationes explicaremus. Porro singulare agibile dicit contingentiam; quia quod agibile est, potest esse, & non esse. Quod autem contingens est, pendet ab agente, loco, tempore, fine, & aliis, quæ circumstantiæ nominantur. Quare singulare agibile non solum dicit id quod cadit sub actionem, sed etiam omnes ejus circumstantias. de his infra dicetur q.5.

3. Ratio formalis objecti Prudentiæ est Conformitas cum appetitu recto, ut explicavimus Prop. 1.§.3. Rectitudo autem, cui debet conformari objectum prudentiæ, est illa quam habet appetitus ex habituali prosecutione finium, quos synderesis præscribit. Media enim debent esse conformia fini, ad quem tendunt. Prudentia autem versatur circa media, ut mox explicabimus.

4. Dicimus objectum Prudentiæ esse media ad fines, quos intendunt virtutes Morales. (*k*) 1. Quia hæc est differentia inter synderesim, & Prudentiam, quòd cum utraque sit habitus intellectualis, qui versatur circa agibile, illa fines virtutibus moralibus præscribit, (*l*) hæc Media; ut explicavimus Prop. 1. §. 2. 2. Quia docet Arist. 6. eth. c. 12. Virtutum moralium objectum esse finem, Prudentiæ Media: *Opus*, inquit, *& ex Prudentia, & ex morali virtute perficitur. virtus enim propositum scopum; Prudentia, quæ ad ipsum tendunt, recta efficit.* & c. 13. *Perspicuum*, inquit, *est & Prudentia esse opus, & sine Prudentia & virtute esse electionem rectam non posse: eo quod hoc fiente, illa, quæ ad finem tendunt, ut agamus, facit.* 3. Quia ex Arist. 6. eth. c. 5. & 7. Prudentia circa ea versatur, quæ

(*k*) *Valent.* 1. 3. *d.* 4. *q.* 1. *p.* 3. (*l*) S. Tho. 2. *q.* 42. *ar.* 6. 2. in

in consultationem cadunt; & non cadunt in consultationem, quæ non possunt aliter se habere: at fines non possunt aliter se habere; & certi sunt, cum tamen quæ in consultationem cadunt, sint dubia. Prudentia ergo non versatur circa fines, sed circa media. quod Arist. apertè docet 6.eth. c.7. dum ait, *Prudentiam non esse de iis, quorum finis aliquis non est.*

5. Sciendum autem duplex esse genus mediorum.alia enim media sunt extrinseca fini; alia intrinseca, ut sunt actiones, & actionum materia, in quibus ut in subjecto est ipsa formalis ratio, ac bonitas finis. (*m*) Subjectum enim,seu materia ordinatur ad formam suam tamquam in finem, propter quem est,ut quoddam medium. Circa utrumque mediorum genus Prudentia versatur; circa extrinseca, dirigendo illa ad finem; (*n*) circa intrinseca, determinando in casibus particularibus quæ sit cujusque virtutis mediocritas, seu medium inter excessum,& defectum. ex quibus fit,ut licet finis non sit directè objectum Prudentiæ; respiciatur tamen à Prudentia ut terminus, ad quem dirigit media congruentia; atque ab illa subjectivè attingatur, licet non formaliter, ratione materiæ, quam Prudentia præscribit. Formaliter autem attingere finem,ac directè,esset ejus rationem formalem præscribere, ac definire: quod Prudentia supponit factum per synderesim: ut scientiæ habitus prima principia, quibus in ratiocinando utitur,supponit per intellectus habitum apprehensa.

(*m*) *Cajet.2.2. q.47. ar.6.* (*n*) *Arist.2. et .c.6. S.Tho.supra ar.7.*

Atque

Atque hæc de Prudentiæ objecto, ac fine; ex quibus intelligi potest quæ sit in Prudentia Methodus. Progrediendum enim est ex fine ad inquisitionem mediorum illi congruentium; & hinc ad judicium medii præ aliis eligendi; indeque ad actum imperii.

III. PROPOSITIO.

De Subjecto.

Prudentia vera, & perfecta in solis bonis reperitur; in Juvenibus autem perfecta esse non potest.

VEra Prudentia dicitur, quæ virtus est; Falsa, quæ non ad bonum, sed ad malum finem, per imitationem veræ Prudentiæ, solerter, & providè idonea media adhibet. Prudentia perfecta est tum ratione actus, quia non sistit tantùm in consilio, & judicio, sed ad imperium efficax progreditur; tum ratione finis, quia non in una tantum actione, aut negotio bonum finem sibi proponit, sed in toto humanæ vitæ instituto. (o) Hanc veram, & perfectam Prudentiam dicimus non reperiri in hominibus malis, sed tantum in bonis, id est, in iis, qui habent in appetitu omnes habitus virtutum moralium, saltem præcipuarum, & quæ ad omnes pertinere possunt. Probatur. 1. Quia ad perfectam Prudentiam spectat in quovis casu de quovis agibili secundùm rectam rationem in particulari constituere: at experientia docet, & Aristot. 3. eth. c. 4.

(o) *Valent. 1. 2. d. 5. q. 7. p. 2.*

ita

ita unumquemque solere in particulari aliquid sibi bonum esse judicare, ut est affectus ad illud. ergo nisi ad omne bonum agibile sit affectus, quod habetur per virtutes morales, per quas homo bonus fit, non potest circa quodvis agibile prudenter in quovis casu judicare. Confirmatur, quia ut Prudentia rectè præfigat media uni virtuti, debet spectare fines aliarum virtutum, ne illis ulla ratione ea media sint disconvenientia; alioquin ea essent deserenda, quippe non consona rationi: at, ut rectum judicium de ea disconvenientia feratur, debet homo esse etiam benè affectus erga fines aliarum virtutum. ergo perfecta bonitas requiritur in homine, ut perfectè prudens sit. Probatur, 2. Quia actus imperii rectus semper est conjunctus cum actu appetitus recto. ut intelligitur ex iis, quæ supra dicta sunt Prop. 1. §. 4. de Imperio, ergo prudentia, quæ in omnem hominis actionem se extendit, qualis est prudentia perfecta, est cum appetitu recto circa omnem actionem, qualis appetitus in solis bonis reperitur. Prudentiam autem veram imperfectam possunt etiam mali habere, ut patet experientia, nempe eam, quæ sistat in solo Consilio, & Judicio, aut unum aliquem particularem finem respiciat.

Quod Prudentia perfecta in Juvenibus esse non possit, docet Aristot. 6. eth. c. 8. & ejus ratio est, quia Prudentia est habitus, qui versatur circa singularia, ut diximus Prop. 2. ergo acquiritur per actus frequentatos circa singularia; qui actus alio nomine dicuntur experientia: at experientiam circa omnes casus particulares qualem perfecta Prudentia requirit, longitudo temporis affert, quæ proinde in Juvenibus esse non potest. ergo nec perfecta prudentia. & quamvis seniorum doctrina multum juvet; experientia

experientia tamen opus est, ut prudentia existat perfecta.

Quid autem de subditis dicendum? An ii possunt esse prudentia præditi? Videtur enim negare Arist. 3. Polit. cap. 3. *Prudentia*, inquit, *propria virtus est præsidentis. nam ceteræ quidem virtutes videntur communes tam eorum, qui præsunt, quàm eorum, qui subsunt: at prudentia non est virtus ejus, qui subsit, sed opinio vera. qui enim subest, ut is est, qui fistulam facit. qui vero præest, ut is, qui intitur fistula.* Dicendum videtur in subditis non esse prudentiam quatenus subditi sunt, id est, quo ad meram exequutionem imperii, quod eis fit à superiore. nam propriùs prudentiæ actus est imperium, ut supra dictum est: subditi autem ut sic, non habent actum imperii; sed tantum executionem: quamvis ut sic, habeant opinionem veram, id est, judicium verum de iis, quæ superior imperat. quod judicium requiritur in subdito, id est, ut executioni mandet imperata. In subditis autem, non ut subditi sunt modo explicato, sed ut pars Reipublicæ, bonum commune spectantes, & ut particulares homines spectantes bonum morale proprium, potest esse vera prudentia tum politica, tum monastica, de quibus infra. nihil enim impedit.

IV. PROPOSITIO.

De Principio efficiente.

Prudentiæ principia, Natura, Experientia, Affectus rectus.

PRudentiæ principia, ex quibus ipsa oritur, & per quæ crescit, & conservatur, plura sunt: (p)

(p) *Valent. 3. d. 4. q. 1. p. 5.* 1. Na-

(p) 1. Natura, tum ratione syndereſis, quæ circa univerſalia principia practica verſatur, quibus prudentia utitur ad majorem propoſitionem formandam in ſuo ſyllogiſmo, per quem concludit, ac ſtatuit de particularibus agendis. tum ratione temperamenti, quod in quibuſdam eſt aptius, quàm in aliis & ad conſultandum, & ad judicandum, & (q) ad virtutes quaſdam morales, cum quibus (r) ut ſuprà diximus, prudentia connexionem habet. tum ratione provectæ ætatis, quæ ob diuturnum experimentum, magnum habet ad prudentiam præſidium. 2. Prudentiæ principium eſt (s) experientia, quæ de ſimilibus, aut diſſimilibus cauſis docet ſimili, aut diſſimili modo judicare. Ad hoc principium attinet (t) exemplum bonum, & eruditio Seniorum, ac ſapientium, qui ſua experientia, & ſapientia junio-rum experientiam ſupplent. hoc principio prudentia utitur ad minorem ſui ſyllogiſmi propoſitionem formandam. 3. Principium eſt, Rectus appetitus affectus, qui magna ex parte pendet à virtutibus moralibus. ab eo autem prudentia pendet, tum quo ad deliberationem, & judicium, tum quo ad imperium, (u) ut ſuprà diximus. Quare cùm effectus hi appetitu pergunt eſſe pravi, prudentia corrumpitur, præſertim circa præcipuum ejus actum, quod eſt imperium. In quo (x) prudentia differt ab Arte, quia cùm Artis præcipuus actus ſit judicium, quod ex experientia pendet, ac memoria ſingularium, Habitus Artis proprius oblivione, non pravitate affectus auferitur.

(p) *Valen. 1. 2. d. 4. q. 1. p. 5.* (q) *S. Th. 1. 2. q. 63. ar. 3.* (r) *Prop. 3.* (s) *Arist. 6. eth. c. 8. & 11.* (t) *Idem ibid c. 11. S. Greg. Nazianz. ora. ad Nicobulū. Cassian. col. 2. c. 10. Scrip. Prov. 3. Eccleſ. 6. Rom. 12.* (u) *Prop. 3.* (x) *6. eth. 5.*

V. PROPOSITIO.

De Prudentiæ proprietatibus.

Duæ videntur esse Prudentiæ, ut circa imperii actum versatur, præcipuæ proprietates, Conformitas cum appetitu recto rectitudine morali, & Solicitudo.

PRo prima proprietate sciendum omnem actum, & habitum intellectus habere conformitatem cum suo objecto, quia est expressa representatio illius: & hæc conformitas dicitur veritas, de qua in Logica, & Metaphysica disputari solet. Sed præter hanc conformitatem cum objecto, habet actus rectus imperii conformitatem cum appetitu recto, id est, cum appetitu appetente, & intendente bonum; quia cum ille actus imperii versetur circa medium; media autem debeant esse fini congruentia: tunc censetur ille actus esse rectus, cum est circa medium ad finem, seu bonum, quod appetitur ab appetitu. Si enim esset de medio, quod esset conforme alteri fini, non esset actus prudens, ac proinde non rectus. esset autem rectus, etiamsi à parte rei medium non esset conforme fini, modo secundum rectas regulas rationis judicetur conforme fini. rectitudo ergo actus imperii sumenda est ex ordine ad appetitum. (y) Quod quia etiam in Arte reperiri debet, nempe ut artis imperium conforme sit fini, qui intenditur; ideo in Propositione addidimus verba (Rectitudine morali.) Moralis rectitudo est in appetitu; cùm appetitur bonum morale, id est, bonum homini ut homo est. Proprium ergo Pruden-

(y) *Valen. tom. 2. d. 5. q. 3. p. 2.*

tiæ

tiæ est habere conformitatem cum appetitu recto rectitudine morali; cùm Artis proprium sit habere conformitatem cum appetitu recto rectitudine naturali, dum aliquod naturale honestum appetitur. Ratio porro, cur actus prudentiæ sit rectus, & verus cùm conformatur cum appetitu recto, etiam si à parte rei medium non sit conforme fini, ea videtur esse: Quia homo est agens intellectuale, quod agit cognoscendo; ac proinde dirigit media ad finem, cognoscendo conformitatem mediorum cum fine. Quare conformitas mediorum cum fine desumenda est, non à mediis, & fine ut sunt à parte rei, sed ut sunt sub hominis cognitione. Recta ergo, ac vera est directio mediorum ad finem, etiam si à parte rei non sit conformitas eorum cum fine, modò cognitio conformitatis sit rationabilis, id est, formata secundùm regulas rectas rationis. is enim est modus agendi humanus.

Quod autem prudentiæ proprietas; ut ad imperium inclinat, sit Solicitudo, id est, celeritas in operando, & exequendo id, quod est consultatum à ratione, & definitum per actum judicii, docet Arist. ex aliorum sententia, quam non improbat, cùm 6. eth. 9. ait, Cito agenda esse, quæ consultaveris; tardè verò, ac diu consultandum. docet S. Thom. 2. 2. q. 47. art. 9. & probatur ratione. Nam cùm quid rectè in particulari consultatum, & definitum est, nihil superest, nisi ut fiat. Pertinet ergo ad munus, laudemque prudentiæ, sine inutili mora, illud voluntati, ac executivæ potentiæ proponere efficaciter per imperium, ut executioni mandetur. Cavendum est tamen ab inquietudine mentis circa superflua, & inutilia; circa quæ tarditas potiùs laudatur, & cunctatio, qualis in Magnanimo esse solet, ut indicat Arist. 4. eth. c. 3.

VI. PROPOSITIO.

De Potentialibus Prudentiæ partibus.

Prudentiæ partes potentiales tres, Eubulia, Synesis, Gnome.

QUæ ad hujus Propositionis explicationem faciunt, petenda sunt ex explicatione Prop. 1. §. 4. in fine, ubi habentur singularum partium rationes, & differentiæ; & innuitur ratio cur potentiales appellentur, nempe quia respectu prudentiæ prelè sumptæ, habent se ut potentia ad actum, seu materia ad formam, à qua perficitur. actus enim illarum ordinantur ad actum imperii, ut ad ultimum, à quo perficiuntur in esse practico. vel habent se ut potentiæ ad essentiam; quia actus earum deserviunt imperio, qui est actus prudentiæ prelè sumptæ, ut potentiæ deserviunt essentiæ.

His potentialibus partibus proximis, & immediatis, adjungi possunt tres aliæ magis remotæ, Physica, Dialectica, Rhetorica. quia ratiocinatio ex demonstratione, quæ pertinet ad Physicam generatim dictam, & ratiocinatio ex probabilibus, quæ pertinet ad Dialecticam; & ratiocinatio ex conjecturis, quæ pertinet ad Rhetoricam, nonnunquam ad imperium ordinantur, atque ita prudentiæ deserviunt prelè sumptæ.

VII. PROPO-

VII. PROPOSITIO.

De Prudentiæ partibus integralibus.

Prudentiæ partes integrales octo, Memoria, Intelligentia, Docilitas, Solertia, Ratio, Providentia, Circumspectio, Cautio.

HAs partes numerat S. Th. 2.2.q.48. Dicuntur autem integrales non propriè, sed per similitudinem quandam. Nam ut partes integrales alicujus corporis propriè dicuntur eæ, sine quibus corpus non constat perfectum: ita partes integrales prudentiæ dici possunt eæ mentis functiones, sine quibus non est perfectus usus prudentiæ.

Memoria, est Cognitio præteritorum. Quod hæc requiratur ad perfectum usum prudentiæ probatur, (a) quia prudentia pendet ex experientia, ut Prop. 4. dictum est: experientia est habitus ex frequentatis experimentis relictus: (b) experimentum autem ex pluribus memoriis pendet, id est, ex pluribus cognitionibus singularium, quæ eodem modo contigerunt. Hinc fit, ut qui sunt malè memores, sint minus prudentes; ut in senibus decrepitis contigere solet. Præcepta ad memoriā firmandam (c) legi possunt apud S. Thom. 2.2.q 49. ar. 1.

Intelligentia, est Cognitio præsentium. Hæc cognitio & habitus ad hanc cognitionem inclinans, & Intelligentia sive Intellectus dicitur, & Mens, & Sensus. Mens, & Intellectus, quia immediatè cognoscit singularia contingentia, sine discursu. Appellatur autem Sensus, etiam si ad intellectivam

(z) *Vide Burid. 6. eth. q. 18.* (a) *S. Tho. 2. 2. q. 49 ar. 1.* (b) *Arist. 1. Met. c. 1.* (c) *Vid. etiam Valent. t. 3. d. 4. q. 3. p. 1.*

animæ partem pertineat, quia versatur circa singularia contingentia; circa quæ versantur potentiæ sensitivæ. Intellectus hoc modo acceptus differt ab intellectu, quem supra Prop.1.§. 2. inter quinque habitus intellectuales, qui ad verum inclinant, primo loco numeravimus; quia ille est de objecto universali, quod aliter se habere non potest; hic autem de singulari, & contingente; (d) Ille de primis principiis, hic de extremis; ille, ut Synderesin complectitur, seu ut est de primis principiis practicis, est de fine in communi; hic de fine in individuo; ille contradistinguitur à prudentia, hic prudentiæ pars est. Non potest autem esse perfectus usus prudentiæ sine hoc intellectu, quia non potest esse perfectum judicium de agendis, & praxis singularium, nisi intellectus rectum sensum habeat de illis. (e) ut enim fines universales, ita & particulares se habent ut principia, è quibus deducitur praxis circa illos.

Docilitas, est Cognitio per alterius doctrinam, sive Habitus inclinans ad suscipiendam eruditionem aliorum. Suscipitur autem illa vel voce, vel scriptis libris. Docilitatem hanc requiri ad perfectam prudentiam intelligitur ex dictis Prop. 4. (*) Docilitas secundùm aptitudinem est à natura; sed perficitur studio, dum sollicitè, frequenter, ac reverenter inducitur animus ad audiendum, aut legendum documenta majorum, nec ea ex ignavia, vel superbia negliguntur.

Solertia, est Cognitio per propriam inventionem bene conjectando. seu, (f) Bona, & velox conjectatio seu Habitus inclinans ad repente inveniendũ

(d) *Arist.6.eth.c.11.* (e) *Arist. ibid. S.Th.2.2. q.49.ar.2.* * *S.Thom.ibid.art. 3.ad 2.* (f) *Arist.6. eth.9.S.Tho.supra ar.4.*

quod

quod congruit. Differt à consultatione, quia illa est cum ratiocinatione; Conjectatio autem non ratiocinatur. Juvat autem prudentiam, quia juvat rectam Consultationē. Cùm enim particularia, circa quæ prudentia versatur, non sint satis nota, conjecturis quoque in illorum di judicatione utendum est.

Ratio, est Cognitio per illationem unius ex alio, seu habitus ad bene argumentandum inclinans. Pendet autem ex illâ perfectus prudentiæ usus, tum quia prudentia versatur circa singularia, quæ non sunt satis per se nota; quare oportet illa per alia notiora cognosci. (g) tum quia consultatio, quæ est prudentiæ pars potentialis, non est sine ratiocinatione.

(h) Providentia est ordinatio aptorum mediorum ad finem, seu Habitus ad hanc ordinationem inclinans. Differt ab imperio, quia providentia formaliter posita est in ordinandis ad finem mediis rectè consultatis, & judicatis; imperium autem positum est in præcipiendo executionem hujus ordinis. Quia verò hoc præceptum, qui est præcipuus prudentiæ actus, supponit ordinationem, ideo providentia est pars valdè necessaria prudentiæ: est pars præcipua, qui juvat actum præcipuum; & ideo solet interdum prudentia denominationem sumere ex hac principali parte integrante imperium, & appellari providentia.

Circumspectio, est accurata consideratio circumstantiarum. (i) Quæ necessaria est ad perfectam prudentiam; quia prudentia versatur circa singularia contingentia, quæ ut habeant debitam mediorum convenientiam cum fine, pendet à circumstantiis: necessaria ergo est non solùm providentia,

(g) *Arist. 6. eth. 10. S. Tho. supra ar. 5.* (h) *S. Th. 1. p. q. 21. ar. 1. & 22. q. 49. a. 6.* (i) *S. Th. 2. 2. q. 49. a. 7.*

quæ ordinat media ad finem; sed etiam circumspectio, quæ comparat id, quod ad finem ordinatur, etiam cum iis, quæ illud circumstant.

Cautio, est provisio quædam, & machinatio adversus mala contraria, quæ obstare bonis consiliis possint. (*k*) est necessaria prudentiæ, quia in contingentibus operabilibus, circa quæ prudentia versatur, bona plerumq; impediuntur à malis, & mala habent bonorum speciem: quibus cautione occurritur.

VIII. PROPOSITIO.

De Prudentiæ partibus subjectivis.

(l) *Partes prudentiæ subjectivæ, id est, de quibus prudentia prædicatur, ut de speciebus sibi subjectis, duæ sunt, nempe,* (m) *Prudentia particularis, quæ versatur circa bonum particulare proprium; & Gubernativa multitudinis, quæ per se versatur circa bonum commune aliorum. Rursum Gubernativa quatuor habet species subjectas: Prudentiam militarem, qui versatur circa bonum commune exercitus; Oeconomicam, quæ versatur circa bonum commune Domus; Politicam regnativam, quæ est in Principe circa bonum commune Civitatis, vel Regni; Politicam simpliciter dictam, quæ est in subditis circa idem bonum commune civitatis, vel Regni.*

1. HÆc prudentiæ divisio facilè intelligitur ex ipsius prudentiæ ratione, est enim præcepti-va, & ordinativa, mediorum ad finem, atque ad hoc utitur deliberatione, ac judicio. Contingit autem media, ac proinde actus prudentiæ, qui circa illa versantur, & ab illis specificantur diversa esse

(l) *Arist. 6. eth. c. 8.* (m) *Contrarium sentit Burid. 6. eth. q. 14. & 15.*

pro-

pro diversitate boni, ad quod ordinantur. valde autem diversum est bonum proprium cujusque à bono communitatis. (n) ergo & præceptio, ac regimen, id est, prudentia circa media ad hæc duo bona, diversa est. Rursum diversa est ratio gubernandi familiam, & exercitum, & Rempublicam, & gubernandi se ipsum in ordine ad bonum Reip. (o) & in obediendo principantibus; & hæc non sunt ejusdem laudis & difficultatis, sed omnino diversarum; & ratio se rectè habendi in his pendet ex experientiis inter se diversis. ergo & diversæ sunt prudentiæ species, quæ circa hæc versantur. Ab omnibus autem his speciebus abstrahitur ratio prudentiæ in communi, quæ 6. eth. c. 5. definitur generatim, Recta ratio agibilium. Dices: Rectè consiliari, & agere circa bonum commune, est de perfectione maxima ipsius agentis. ergo est bonum agenti. ergo eadem prudentia specie est, quæ versatur circa bonum particulare, & bonum commune. Respon. Prudentiam diversificari specie ex bono, quod spectatur in agendo. cùm autem prudenter agitur circa bonum commune, spectatur absolutè bonum commune, non particulare. Quare licèt ex hac actione perficiatur ipse agens; quia tamen in agendo, eam perfectionem non spectat per se, sed bonum commune: ideo diversa est prudentia à prudentia particulari. Præterea satis est ad diversificandã prudentiam Ratio directiva diversa circa diversa agibilia, ut suprà dictum est, quæ non habent connexionem debitam ad constituendum unam specie prudentiã. Quæ ratio diversi agibilis facit ut distincta specie sit politica in subditis, à regnativa, licèt utraque spectet idem bonum commune; quia prudentia

(n) S. Th. 2. 2. q. 50. a. 1. (o) Idem a. 2.

xia versatur circa agibilia, ergo ab his specificatur.

2. Porro sæpe contingit prudentiam, ut habet pro objecto bonum particulare, proprium operantis, ratione illius boni spectare bonum commune; ut contingit decernere cuinam potiùs agibili sit huic vacandum hîc, & nunc, particulari ne, an communi, regni, vel domus, vel exercitus, quia vacare cuivis agibili ex his potest esse vel bonum, vel melius ipsi operanti consideratis circumstantiis personæ, temporis, &c. Quatenus ergo prudentia spectat hoc modo bonum comuune, una virtus est specie specialissima, éstq; ipsa prudentia particularis, quæ sub formali ratione boni ipsius operantis complectitur materialiter objecta quatuor prudentiarum universalium.

3 Posset quis putare prudentiam ut est circa bonum particulare operantis, & recta ratio agibilium particularium, non esse speciem ultimam, sed genus ad tres Prudentias. quia triplex est genus agibilium particularium triplicem virtutem moralem distinguentium, Justitiam, Fortitudinem, Temperantiam. ergo & triplex Ratio horum agilium, id est, (p) triplex prudentia particularis.

Dicendum tamen Prudentiam particularem non esse nisi unam specie. nam virtutes morales multiplicantur specie tum ratione subjectorum, ad quæ ordinantur, quæ sunt tria, voluntas, appetitus irascibilis, & appetitus concupiscibilis; tum ratione difficultatum quæ speciales sunt in singulis objectis, quorum unum non dependet ab alio. at prudentia ad unum subjectum ordinatur, nempe intellectum; & ejus difficultas sola est in attingendo vero practico, quæ eodé modo se habet in quibusvis

(p) *Valent. t. 2. d. 4. q. 1. p. 2.*

materiis

materiis: si qua in hoc difficultatis diversitas est, ea provenit ex variis affectionibus appetitivum, quæ impediunt rectum intellectus consilium, & imperium, quæ difficultates superantur à virtutibus moralibus. præterea ut perfectum judicium feratur de agibili unius virtutis moralis, sæpe pendet ex consideratione agibilium, quæ spectant ad alias virtutes: hinc fit, ut non possint distingui plures prudentiæ ratione objectorum, quia objectum semper est unum, seu sub una ratione, nempe agibile rectum, quod ratione circumstantiarum complectitur omnia objecta virtutum moralium. (q) ex quo intelligitur cur hæc non sit una species, ut prudentia particularis, sed multiplex: quia artium objecta non habent connexionem inter se, quam habent objecta prudentiæ.

QUÆSTIO QUINTA.

De Ratione Singularitatis, quæ est in objecto Prudentiæ; sive De Circumstantiis.

DIctum est supra q. 4. Prop. 2. objectum prudentiæ esse agibile singulare, videndum ergo nunc est quid ea singularitas sit. Hujus autem cognitio utilis etiam erit ad Spontanei rationem melius intelligendam, quæ maximè ad Moralis doctrinæ objectum attinet, ut intelligitur ex iis, quæ in q. 3. disputata sunt. (a) Spontaneum autem definitur, *Cujus principium est in eo, qui agit, particularia cognoscente, in quibus actio consistit.* Intelligitur ergo Spontaneum ex particularium seu singularium explicatione, quæ Theologi Circumstantias appellant.

(q) *Vid. Burid. 6. eth. q. 13.* (a) *3. eth. c. 1.*

PRIMA

PRIMA PROPOSITIO.

Circumstantiæ octo, (b) *Quis, Quid, Circa quid, Quo, Cur, Quomodo, Ubi, Quando.*

HÆ circumstantiæ versu effetri solent,

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

Circumstantiæ dicuntur comparatæ ad humanum actum, quia non sunt ipse principalis actus, sed ad ipsum spectant ut accidentia quædam, seu (c) adjuncta. Habent autem respectum ad ipsum, & ad ipsum adjunguntur, vel ut causa efficiens ipsius, vel ut objectum, vel ut subjectum, vel ut instrumentum, vel ut finis, vel ut modus, vel ut locus, vel ut tempus. Si in agendo harum circumstantiarum aliqua ignoretur ignorantia, quæ dicitur Antecedens; id quod per actionem fit, respectu illius circumstantiæ ignoratæ, invitum, & involuntarium est: quia nihil est volitum, quod non sit cognitum, ut dictum est quæst. 3. Prop. 1. Necessarium porro est ad prudenter agendum, singulas actionis circumstantias attentè considerare, ac perpendere. Nunc singulas explicemus.

Quis, personam significat, quæ agit, ad rationem hujus circumstantiæ spectat agentis conditio, ut quòd sit doctus, vel indoctus; superior, vel subditus; nobilis, vel ignobilis; &c. Hanc circumstantiam non ignorat is, qui agit, nisi mentis compos non sit.

Quid, est rationis effectus, seu immediatum objectum. Ignoratur hæc circumstantia, cùm quis putans

(b) *S. Th. 1. 2. q. 3. ar. 7. Ar 3. ethic. c. 1.* (c) *Cic. in Top. & in Partit.*

tans se aliquid facere, efficit aliud; ut qui volens catapultæ, seu balistæ usum, & feriendi rationem alteri ostendere, amicum percutit, dum in ea tractatione spiculum manu fugit.

Circa quid, seu *In quo*, est materia sive subjectum, in quo versatur actio. ut interfectio circa feram, vel amicum, vel hostem.

Quo, significat instrumentum.

Cur, est finis, & cujus gratia fit actio. non finis immediatus, quia is est idem cum objectio actionis; sed mediatus, ad quem actio & actionis objectum ordinatur sive ex se, sive ab operante. Hæc circumstantia interdum ignoratur, ut cum quis sanare volens, occidit. contingit autem ignorari ex ignorantia conditionis, quæ est in medio, ut cum ignoratur medicinam, quæ adhibetur ad sanandum, habere vim occidendi.

Quomodo, significat actionis modum: qualis in Percussione levitas, vel vehementia.

Ubi, est locus, in quo fit actio. loci conditiones considerari solent, ut an sacer sit, an prophanus, an frequens, &c.

Quando, tempus significat.

Inter has circumstantias non numeratur, quoties, seu numerus actionis; quia numerus non est actionum circumstantia, sed ipsæ plures actiones, ac actionum substantiæ. (d) Præcipuum autem in his actuum moralium circumstantiis locum obtinet Finis; quia moralitatem habet actio ex eo quod est voluntaria: voluntatis autem motivum, & objectum, est finis, à quo etiam habent immediata actionum objecta ut appetantur, ac proinde voluntaria

(d) S. Th. 1. 2. q. 7. ar. 4.

sint. Quid;

Quidquid enim appetitur, aut per se appetitur, aut propter aliud. quod per se appetitur rationem finis habet; quod propter aliud, rationem appetibilitatis habet à fine. Præcipua ergo circumstantia est finis, quippe qui & ad causam efficientem spectat, & ad formalem Moralitatis. Secundum locum habet, quid, seu objectum; quia ipsam actionis substantiam specificat.

Ad clariorem eorum, quæ de circumstantiis disputari solent intelligentiam, (e) sciendum est circumstantias posse comparari, vel cum actu interno voluntatis, vel cum actione exteriore, quæ est objectum actus interni. Respectu actionis exterioris circumstantiæ habent simpliciter rationem circumstantiarum, quia se habent ut accidentia illius, ut explicatum est. Respectu autem actus interni habent duplicem rationem, nempe tum objecti, quia sunt per illum actum volitæ; & integrant cum actione unum completum objectum illius actus. tum circumstantiarum, seu accidentium, si comparentur cum ea ratione, seu specificatione actus interni, quæ sumitur ex actione externa: quale enim est objectum, talis est actus, qui ab eo specificatur: at in toto objecto actus interni, quod est aggregatum ex actione, & circumstantiis, actio se habet ut substantia, circumstantiæ ut accidentia. ergo eæ specificationes actus interni, quæ sumuntur ex circumstantiis, habent se ut circumstantiæ, & accidentia respectu specificationis quæ sumitur ex actione.

(e) Valent. 2. d. 2. q. 14. p. 2.

II. PRO-

II. PROPOSITIO.

Singularitas objecti moralis, circa quod prudentia versatur, est ipsa principalis ratio ejus, quod fit cum connotatione circumstantiarum.

QUod id quod fit, seu actionum humanarum effecta connotent circumstantias, nullum est dubium; quia contingentia sunt. contingentia autem cum fiunt, & causam efficientem connotant, & finem &c. Quod autem actionis circumstantiæ ad objecti moralis singularitatem spectent, & innuit Aristot. 3. eth. c. 1. cum Spontaneum definit, cujus principium est in eo, qui agit, particularia cognoscente, in quibus actio consistit. particularium autem nomine intelligit circumstantias, ut clarè colligitur ex toto contextu. & probatur ratione. Nam singularitas in aliqua re nihil aliud est, quam ipsa entitatis rei determinatio: objectum autem morale in ratione objecti moralis, id est, voliti à voluntate cum advertentia rationis; in sua determinatione, ut sit tale determinatum volitum, non solum includit effectum, qui per actionem fit, sed etiam circumstantias; quia rationale agens non solum considerare debet effectum actionis, sed etiam circumstantias; quare cum vult effectum, vult etiam, aut saltem intelligitur velle etiam circumstantias illius. ergo etiam circumstantiæ ingrediuntur rationem objecti voliti, seu voluntarii, seu moralis, cum voluntas fertur in effectum. ex quo intelligitur circumstantias in ratione voluntarii non esse meras circumstantias, sed integrare ipsam determinationem, ac singularem rationem objecti: habere autem rationem merarum circumstantiarum

comparatas

comparatas ad effectum, & ad actionem, per quam fit effectus. (f) Porrò objectum tribuit speciem actui; ergo Circumstantiæ cum habeant rationem objecti, tribuent speciem actui, ac proinde bonitatem, & malitiam, quæ consequitur adesse specificum morale. Cui autem actui tribuunt speciem? Tum ei, per quem sunt volitæ, aut subintelliguntur esse volitæ, id est, actui interno: tum actioni, per quam fit effectus, qui connexionem habet cum circumstantiis; quia effectus talem speciem tribuit actioni, qualis ipse est: at est circumstantionatus, seu connotans circumstantias. ergo speciem circumstantionatam tribuit actioni, per quam fit, seu speciem connotantem alias species morales sibi adjunctas, ut accidentia quædam.

Ex dictis intelligitur, unde habeat actus tum internus, tum externus bonitatem, & malitiam moralem; nempe tum ex objecto, tum ex circumstantiis. (g) Nam bonitas, & malitia moralis in actu est conformitas, vel difformitas cum ratione, ut dictum est q. 3 Prop. 4. Habere autem possunt conformitatem, & difformitatem cum ratione tum objectum, tum objecti circumstantiæ. Porrò appetitus rationalis munus est, appetere bonum hominis, ut homo est, & media ad id bonum. Bonum autem hominis ut homo est, sunt virtutes, et felicitas, est autem rationis munus dirigere media ad illud bonum. Quare quoties homo cum advertentia rationis operatur, debet versari circa objectum, quòd sit bonum homini, ut homo est, aut medium ad illud. (b) Hinc

(f) S. Tho. 1. 2. q. 18. a. 6, 7. 10, 11. Valent. to. 2. d. 2. q. 13. p. 4. (g) S. Thom. 1, 2. q. 18. a. 2. 3. 4.

sit,

ſit, ut in actu exercito nulla ſit actio, quæ vel bonitatem, vel malitiam moralem non habeat, quia licet contingere poſſit, ut aliqua actio exiſtat, & ex ſuo objecto neque conformitatem, neque difformitatem habeat cum ratione, quia ex ſe neque ſpectat ad bonum hominis, neque ei contraria eſt, (*i*) ac proinde ex ſe indifferens ſit, neque bona formaliter, neque mala, ut feſtucam humo tollere: tamen ut eſt in actu exercito, id eſt, ut circà eam actu verſatur homo cum advertentia rationis (quod eſt eſſe ſingularem, & in individuo, ut loquuntur Theologi, & nos ſupra explicavimus in hac propoſitione) neceſſariò aut bona, aut mala eſt ex aliqua circumſtantia, ſaltem ex fine: quia vel à ratione ordinatur in bonum hominis, & ita bona eſt ex fine; aut non ordinatur, & mala eſt, ex carentia finis boni, quem debet habere ut objectum eſt, circa quod ratio verſatur. (*k*) Porrò, ut actio ex ſe indifferens, ſit actu bona formaliter ex fine, ſatis putamus virtualem actionis ordinationem ad finem, ſeu bonum hominis, & implicitam, ac ſubintellectam, etiam ſi cum actio ſit, non ſit in actu ea ordinatio.

(*b*) *S. Thom. 1. 2. q. 18. art. 9. ſuppa q. 3. Prop. 4.* (*i*) *S. Thom. bid. art. 8.* (*k*) *Vid. quid ſimile apud Valent. 1. 2. d. 8. q. 6. p. 3. §. Ubi tamen.*

DISPU-

DISPUTATIO SECUNDA,
DE FINE HOMINIS, SIVE
De Felicitate.

HActenus de natura tum Ethicæ, tum Prudentiæ, & de præcipua objecti, circa quod versantur, ratione, quæ est Moralitas: nunc de primaria objecti parte disputandum, quæ finis hominis, ac felicitas est. Necessaria autem est hujus cognitio tum ad perfectam Ethicæ doctrinam, (a) tum ad praxim dirigendorum mediorum ad finem, quæ est munus prudentiæ. Agemus autem primùm de Ratione formali felicitatis, tum de Proprietatibus, postremò de Causa efficiente.

QUÆSTIO PRIMA.
De *Ratione formali Felicitatis.*

PRIMA PROPOSITIO.

Felicitas hominis, est summum hominis bonum. Summum autem bonum hominis, est ultimus hominis finis.

QUod felicitas sit summum bonum, probatur (b) ex communi omnium opinione. Putant enim

(a) *Arist. 1. eth. c. 2.* (b) *1. eth. 4. S. Aug. 8. Civit. c. 8.* omnes

omnes felicitatem esse bonum quoddam, quo nullum sit majus in homine; quo habito, non restet aliud experendum. Confirmatur ex definitionibus, quæ de felicitate tradi solent. A Boetio l. 2. de Consolat. Phil. Pro. 2. definitur, Status omnium bonorum aggregatione perfectus. à Tull. 3. Tusc. quæst: Secretis malis omnibus cumulata bonorum complexio.

Quod autem summum hominis bonum, id est, felicitas habeat rationem ultimi finis, id est, Boni, quod habet ex se ut cetera ordinentur ad ipsum, & sint appetibilia propter ipsum; ipsum autem non ordinetur ad aliud; Probatur 1. (*b*) ex communi omnium sensu, Quia omnes cetera bona propter felicitatem expetunt, ut tandem feliciter vivant: felicitatem autem ipsam nemo propter ullum aliud bonum expetit. 2. Ratione, (*c*) Quia quod summum bonum est, perfectum bonum ac sufficiens sibi est. ergo non habet ex se, ut ad aliud bonum ordinetur, & propter aliud appetatur. Habet ergo rationem ultimi finis.

Porrò quod dicimus summum bonum, ac felicitatem hominis habere rationem ultimi finis, non ita accipiendum est, quasi idem sint formaliter ratio summi boni, & ratio ultimi finis: sed quod in eo, in quo est ratio summi boni, sit simul ratio ultimi finis. Ratio Boni est (*d*) ratio entis ut illud conveniens est subjecto, in quo est: (*e*) Ratio finis est, esse id propter quod aliud fit. Quod autem dicimus Felicitatem esse ultimum finem homi-

---

(*b*). 1 *eth. c.* 7. *Augustl.* 13. *Trin. c.* 4. (*c*) 1 *eth. c.* 7.
(*d*) *Disp.* 1 *q.* 1. *Def.* 5. (*e*) *Ibid. Def.* 7.

nis

nis, duobus modis accipi volumus ; & quod cetera, quæ sunt in homine, ad felicitatem ex se ordinentur, cum felicitas non ordinetur ad aliud bonum, quod sit in homine : & quod homo agens secundum rectam rationem, felicitatem intendat ut ultimum finem, ac cetera ordinet ad illam. Hoc secundum ut melius intelligatur, sciendum est, omne agens agere propter finẽ. omnis enim actio habet suum terminum, & ultimum propter quod est. (f) est autem triplex agentium genus, Naturalium, Sensitivorum, Intellectivorum : quorum unumquodque & appetit quod sibi conveniens est, & ad illud assequendum operatur secundum modum suæ naturæ proprium. est autem proprium agentis sensitivi, quia Cognoscitivum est, ita agere propter suum finem, ac bonum, ut agendo cognoscat illud bonum, & appetat elicito appetitu, & ideo operetur propter illud, quamvis non cognoscat illud habere rationem finis, & media, quibus utitur, habere proportionem ad illud. Hæc autem omnia cognoscit agens intellectuale : ideo proprium ejus est ordinare media ad finem. Ita homo agit, ut experientia manifestum est. (g) Cum ergo dicimus felicitatem esse ultimum finem hominis, intelligimus felicitatem intendi ab homine ut ultimum finem, ab eodemque ordinari omnia, ad illam. Quamquam errat sæpissimè homo in proponendo sibi pro fine eo bono, quod est sibi conveniens, ut homo est. Idque accidit, tum quia homo discursivus est, & habens pro objecto intellectus omne ens ; tum quia habet voluntatem sui arbitrii,

(f) *Ibid. Def.5.* (g) *1.eth.c.2. & 7. S.Tho.1.2. q.1. ar.4.*

ac

ac liberam; cum quia appetitus sensitivus trahit ad objecta sensibilia. Id non contingit agentibus naturalibus, ac sensitivis, quæ in agendo determinata sunt. Quare operæ pretium est inquirere quodnam illud bonum sit, quod in homine sit verè summum, ut ad id acquirendum media ordinentur. Tenetur autem homo ex lege naturali ad illud acquirendum media ordinare. nam & ipse homo, & media sunt ordinata à natura ad illud hominis bonum. fit ergo contra legem naturæ cum ab homine non ordinantur media ad illud.

II. PROPOSITIO.

Summum hominis bonum, operatio est hominis, ut homo est. Ea est ejus partis in homine, quæ ratione prædita est.

Quod felicitas sit hominis operatio, probatur 1. (*h*) Quia omnes putant Felicitatem idem esse, quod bene vivere, beneque agere. 2. Quia hæc est Aristot. sententia 1. eth. 7: & l. 10. c. 6. & 7. 3. (*i*) Quia ea, quæ operationis capacia sunt, tunc putantur habere optimè, cum operantur. 4. Felicitas est ultima perfectio, ad quam reliquæ hominis perfectiones ordinantur: at omnia, quæ possunt hominem perficere, Deo excepto, qui nullum ordinem habet ad creaturas, ordinantur ad hominis operationes. Bona creata, quæ attingere possunt ipsum hominem, aut sunt homini externa, aut intrinseca. (*k*) externa, ut divitiæ ad

(*h*) 1. *eth.* 4. & 8. (*i*) 1. *eth.* 7. (*k*) 1. *eth.* c. 5. S. Tho. 1. 2. q. 2. a. 1.

usum

usum hominis ordinantur,& vitam;vita autem operatio est. (*l*) Honor,& fama consequuntur bonum, & excellentiam hominis. exhibetur enim honor excellentiæ & fama, ac notitia, cum vera est, supponit aliquod bonum,quod venit in aliorum cognitionem. Magis ergo in illo bono, quod supponitur, hominis felicitas posita est. (*m*) Præterea Honor, & fama non sunt in honorato, sed in honorante, ergo hujus potius, quàm illius bona sunt. Neque habent ex se constantiam', sed mutationi obnoxia sunt: at proprium felicitatis est, esse bonum firmum, ac stabile, ut infra dicetur. Bona autem interna, ut potentiæ, & habitus, ad operationes ordinantur,quæ sunt ultimus ipsorum actus. ergo hominis felicitas, ac summum bonum, est operatio. Dicet quispiam: Operationes sunt propter objecta,circa quæ versantur,nempe ut participentur objecta, & eorum bonitas ab operante; & rursum eædem operationes sunt propter hominem operantem, ut ipse perficiatur, ergo objecta, & ipse homo sunt summum bonum. Dicendum operationem vitalem, qualis est ea, de qua loquimur, necessariò habere duos terminos, ad quos ordinatur, & objectum, à quo specificatur,& subjectum, quod perficit, & in quo est. Quamvis autem ordinetur ad hæc duo, non tollitur, quin summi boni humani rationem habeat. Nam objectum non est bonum homini, ut objectum est, ac proinde non habet rationem summi boni respectu hominis, nisi per opera-

(*l*) *Idem.ibid.ar.*2.*&* 3.*&* *Arist.*8.*eth.c.*8.
(m) 1. *eth.c.*5. *S.Thom.supra ar.*4.

tionem,

tionem, quæ est homini ratio formalis possidendi objectum: ex eo ergo quod operatio ordinatur ad objectum, habet quidem objectum simpliciter rationem ultimi, non tollitur tamen, quin operatio habeat rationem boni ultimi informantis ipsum hominem, id est, beatitudinis formalis: objectum autem habet rationem beatitudinis objectivæ. Rursum quamvis operatio ordinetur ad perficiendum ipsum hominem: ex eo tamen non amittit rationem ultimæ perfectionis in homine; quod satis est ad rationem felicitatis. Felicitas enim non est ipse homo, ut patet; sed bonum adveniens homini, perfectivum ipsius. ordo ergo perfectionis ad subjectum, quamvis tollat à perfectione comparata ad subjectum, ad quod ordinatur, & propter quod est, rationem ultimi; non tamen tollit rationem ultimæ perfectionis, quæ requiritur ad rationem felicitatis. Vel dicendum, Objectum, & subjectum esse duo necessariò requisita ad esse operationis, objectum ut specificativum, subjectum ut sustentativum operationis, ac ex illis, & operatione fieri unum totum habens rationem ultimi boni humani. In toto autem non tollitur ratio ultimi ex eo, quod ejus partes ordinentur ad invicem, modò illud non ordinetur ad aliud.

Quod autem operatio rationalis partis in homine rationem felicitatis habeat, probatur. 1. (n) Quia neque bos, neque equus, neque aliud quodvis animal felix appellatur. 2. (o) Quia operationes partis vegetativæ, ac sensitivæ minima bona sunt comparatæ ad operationes partis rationalis, tum ra-

(n) 1. eth. c. 7. & 9. (o) S. Thom. 1. 2. q. 2. art. 6.

tione

tione propriæ entitatis, tum ratione objecti, circa quod versantur. felicitatis autem summum bonum est. 3. Vegetativæ operationes, & sensitivæ in homine, parti rationali deserviunt, & ordinantur ad opera illius. Hæc ergo habent rationem ultimi. Ex his intelligitur voluptates corporales non habere rationem felicitatis, quia sensitivæ operationis passiones sunt: (p) neque lusum, tum quia lusus magnam partem spectat ad opera sensuum: tum quia lusus genus quoddam quietis est; quies autem est propter operationem, ut quia homo non potest assidue operari, post quietem vegetior ad operationem redeat.

III. PROPOSITIO.

Cum duplex rationalis partis operatio sit, altera intellectus, altera voluntatis: (q) operatio intellectus ad felicitatis humanæ rationem formalem, seu essentialem videtur attinere.

Quod operatio intellectus, seu cognitio intellectiva essentialem felicitatis humanæ rationem habeat, Probatur 1. (r) Quia hæc operatio est omnium, quæ sunt in homine, perfectissima. 2. Maximè spectat ad perfectionem hominis, ut homo est, nempe animal rationale. 3. (s) Hæc operatio habet maximè firmitatem, & alias proprietates fe-

(o) S. *Thom.* 1. 2. q. 2. *art.* 5. (p) *Aristot.* 10. *eth. c.* 6. (q) S. *Th.* 1. 2. q. 3. *ar.* 4. (r) *Arist.* 10. *eth. ca.* 7. (s) *Idem ibid.*

licitatis

licitatis, de quibus infra. 4. Per hanc operationem unitur homini quæcunque aliorum entium perfectio modo quodam excellentissimo, nempe vitali. Anima enim intelligendo fit omnia: quia objectum intellectus est omne ens, etiam Deus: & intelligendo exprimuntur in anima vitaliter omnia entia quæ proinde evadunt animæ vita. 5. Essentia definitur principium primum omnium operationum, quæ sunt in re: primum autem principium omnium aliarum operationum, quæ fiunt ab homine ut homo est, est cognitio intellectiva: quia voluntas, quæ movet alias potentias, quæ sunt in homine, non movet nisi præviâ cognitione intellectivâ: ergo operatio intellectus habet rationem essentialem in hominis felicitate. 6. Felicitas hominis habet rationem ultimi finis, ut suprà probatum est. Ex duabus autem operationibus rationalis partis, operatio intellectus habet rationem ultimi finis. Ideo enim voluntas adhæret bono per intellectum apprehensio, & quiescit per actum unitionis in eo, quia vult apprehensionem talis boni: ordinatur ergo adhæsio, qui est actio voluntatis, ad apprehensionem, qui est actus intellectûs.

Contra hanc doctrinam objici potest. 1. Operatio voluntatis non fit, nisi præviâ operatione intellectus: ergo operatio voluntatis habet rationem ultimi, (t) ac proinde finis, & felicitatis. 2. (u) Felici-

(t) *Scot. in 4. d. 49. q. 4. & Scotistæ.*

(u) *In utriusque potentiæ actu consistere beatitudinem docet Bonav. in 4. d. 49. p. 1. q. 5. Richard. ibid. ar. 1. q. 6. Supplem. Gabr. ibid. q. 2. ar. 3. dub. 1. Io. Maior. ibi. q. 5. Greg Valent. t. 2 Disp. 1. q. 3. p. 4. apud quem leg. argumenta, & respon. pro utraque sententia.*

tas est possessio summi boni, putà Dei, ut infra dicetur. Possidetur autem summum bonum tum per expressionem vitalem, quæ fit ab intellectu; tum per adhæsionem vitalem, quæ fit à voluntate. 3. Summum bonum habet & rationem veri, & rationem convenientis. Per actum intellectus participatur ut verum, per actum voluntatis participatur ut bonum, & conveniens. Ergo uterque actus spectat ad participationem summi boni. 4. Essentia Physica hominis non est tantùm præsentia animæ in corpore, sed præsentia utriusque & animæ & corporis cum unione. ergo essentia felicitatis, quæ est possessio summi boni, non est tantùm præsentia summi boni, qua summum bonum sit præsens homini per actum intellectûs; sed etiam unio vitalis cum tali præsentia, quæ fit per adhæsionem voluntatis. 5. Delectatio spectat ad felicitatem, nemo enim dicet felicem vitam, quæ sit sine delectatione; at delectatio est actus voluntatis.

(x) Sed non est à Propositionis doctrina discedendum; quæ ex Arist. 10. eth c.7. & consentanea doctrina S.Thom.de beatitudine supernaturali 1. 2.q. 3.art.4.

Ad 1. Respon. Non omne, quod est ultimum in executione, habere rationem finis, multa enim accidentia consequuntur ad existentiam substantiæ, nec tamen se habent ut finis respectu substantiæ, sed contrà substantia est finis illorum.

Ad 2. R. Per adhæsionem voluntatis non haberi rationem possessionis: quia illa non affert objectum, sed supponit allatum, & præsens: non enim est expressio objecti, sed tendentia in objectum, & inclinatio ad illud.

(x) *Est hæc sententia Thomistarum, & Durand. in 4.d.49.q.4.*

Ad

Ad 3. R. Bonum, & conveniens non participari per actum voluntatis, qui habet rationem inclinationis in illud; sed supponi participatum per actum intellectus. Participatur autem bonum, quatenus verè bonum est, & conveniens. quod est, participari ab intellectu sub ratione veri, hæc autem ratio supponit & includit rationem boni.

Ad 4. Resp. unionem vitalem, quæ fit per adhæsionem voluntatis, supponere aliam unionem vitalem, quæ fit per actum intellectus: per quem actum fit objectum intellectui præsens, & unitum simul.

Ad 5. R. Sumendo delectationem pro fruitione, qui est actus voluntatis, illam consequi ad possessionem boni, quæ fit per actum intellectus; ac proinde non posse spectare ad rationem essentialem felicitaris, ut de actu voluntatis dictum est. Quamquam spectat ad felicitatem ut quoddam accidens illius, perficiens accidentaliter illam, & illam semper concomitans: quia ad bonum possessum consequitur delectatio, & quies in illo. Non putatur ergo felix vita, quæ fit sine delectatione: quia si delectatio non est, nec est possessio boni, ad quam naturali consequutione sequitur delectatio.

IV. PROPOSITIO.

Cum multæ sunt operationes intellectus pro varietate objectorum: illa sola rationem formalem felicitatis habet, ac summi boni, quæ circa objectum summè bonum versatur, qui est Deus, nempe contemplatio Dei.

PRobatur, quia hæc sola operatio habet rationem ultimi, ac perfectissimi boni. 1. Quia cum

objectum intellectus sit omne ens, nunquam ejus capacitas explebitur, ac proinde ad ultimam perfectionem perveniet, donec apprehendatur omne ens: quod accidit cùm apprehenditur Deus, qui continet in se perfectiones omnium entium. 2. Quia operationes specificantur ab objectis: at cætera objecta dicunt ordinem transcendentalem ad Deum, & quicquid bonitatis habent, illud habent à Deo, & infinito intervallo distant à Dei perfectione. ergo ita modo suo se habent operationes, quæ sunt apprehensiones cæterorum objectorum, comparatæ ad illam, qua apprehenditur ipse Deus. Deus autem habet rationem ultimi finis, ac summi boni. ergo operatio, quæ versatur circa illum, rationem ultimi finis, ac summi boni habet respectu aliarum operationum.

Contra hanc propositionem objici potest. 1. Ens ut abstrahit à Deo, & creaturis, est bonum universalissimum. ergo in entis abstractissimi contemplatione posita est felicitas. 2. Hominis contemplatio de Deo potest esse perfectior in infinitum. ergo nunquam habet rationem ultimæ perfectionis, ac proinde nec felicitatis.

Sed non est à Propositionis doctrina discedendum, quæ consona est doctrinæ fidei, & Arist. 10. eth. c. 7.

Ad 1. R. Rationem entis in communi abstrahere à rationibus particularibus, ac differentiis entium, ac proinde à rationibus perfectioribus. ergo non potest esse felicitas in ejus contemplatione, sed potius in consideratione entis determinati, cujus differentia est infinitæ perfectionis, qualis est entis à se, id est, Dei. quia ab apprehensione talis perfectionis summè perficitur intellectus. Præterea ex Arist. 1. eth. c. 6. Felicitas est possessio summi bo-

ni

ni: at bonum in communi non possidetur, sed particularia: quia ea possidentur, quæ existunt; quicquid autem existit, ens particulare, & determinatum est.

Ad 2. Resp. Ad rationem essentialem felicitatis esse, quod habeat rationem ultimi ex eo, quod attingit objectum summum, quod est omnium entium finis. ex eo autem, quod illud objectum potest apprehendi semper perfectius, non tollitur ab imperfectiore apprehensione ratio felicitatis, sed majoritatis. ex apprehensione enim perfectiore felicitas fit major, non autem mutatur secundùm essentiam: sicut quantitas, quantumvis parva, est vera quantitas, & ex additione quantitatis non mutat essentiam. Hæc porro doctrina fundatur in communi tum Theologorum, tum Philosophorum opinione, qui putant hominem posse esse felicem; & in inclinatione naturali hominis ad felicitatem, quæ inclinatio arguit felicitatem esse possibilem homini: at ea non esset illi possibilis, si de felicitatis ratione esset tantùm apprehensio Dei omnium apprehensionum perfectissima; quia hujusmodi apprehensio est tantùm in Deo, qui se comprehendit: at in homine nulla datur apprehensio Dei, qua non possit dari alia perfectior. Hic advertendum est, Deum duobus modis posse apprehendi ab intellectu, abstractivè per lumen naturale, & intuitivè per lumen supernaturale beatificum: apprehensio Dei per lumen naturale valde imperfecta est, si cum visione beatifica comparetur, & respectu illius non debet felicitas nominari; sed tamen rationem felicitatis habet in genere naturæ, quia apprehendit summum objectum, respectu cujus addit homini summam perfectionem ex iis, ad quas naturæ vi perveniri potest.

QUÆSTIO SECUNDA.

De *felicitatis proprietatibus.*

IN hac quæstione agendum est, & de iis, quæ veræ sunt proprietates, à formali felicitatis ratione fluentes; & de iis, quæ sunt ornamenta felicitatis, & illam aliquo modo conservant, & quæ simul sumpta possunt proprietatis nomine appellari. ea sunt, Voluptas, Perpetuitas, Amor concupiscentiæ, Actio, Bona corporis, Bona externa, Amicitia. Videndum est quid hæc sint, & quot felicitatis proprietates, sive accidentia sint.

PRIMA PROPOSITIO.

De Voluptate.

Voluptas, est quædam quies operationis vitalis, & quasi venustas à potentia bene disposita circa obiectum potentiæ proportionatum. ea quies perfectio quædam est operationis, distincta ab illa tantùm ratione, & secundùm eandem rationem operatione posterior, ac proinde ad operationis rationem formalem non spectans, sed ut proprietas se habens ad illam.

Voluptas.) Voluptatis nomen, quamvis vulgo dicatur de sensitivis delectationibus: (a) illud tamè etiam operationibus intellectus, & voluntatis

(a) *Arist. 10. eth. c. 4.*

convenit

convenit, quarum potentiarum delectationes eò sunt majores sensitivis, quò earum operationes sunt sensuum operationibus nobiliores. (*b*) Delectatio autem voluntatis circa summum bonum modo perfectissimo possessum, appellatur fruitio; quia est ultima perfectio, quæ ab homine haberi potest, consequens omnem aliam hominis perfectionem; ac proinde ita se habet respectu hominis, ut fructus respectu arboris, qui est ultima arboris perfectio. Dicitur ergo Fruitio nomine, quòd affinitatem habet cum nomine Fructus.

A potentia bene disposita.) Docet experientia, cùm potentia non est bene disposita, non esse in operatione voluptatem. Ideo qui ægrotant, non delectantur cibis, quia palatus est malè dispositus. Contrà verò quò bona dispositio est major, eò solet esse operatio jucundior. Ideo operari ex habitu, valdè jucundum est. oritur ergo voluptas ex bona dispositione potentiæ.

Quies.) Quietem intelligimus, cùm potentia formalem actum possidendi objectum, qui est ipsa vitalis operatio circa objectum, producit ut in termino, non ut in via ad ulteriorem, & perfectiorem actum, seu possessionem objecti. (*c*) Quòd voluptas sit quies, probatur 1. ex Arist. sententia, qui 10. *eth.* c. 4. negat voluptatem esse motum ex eo, quòd voluptas capitur tota simul. Quies autem est tota simul. 2. Quia cùm potentia est in motu acquisitionis, aut de acquisitione sollicita, etiamsi possideat objectum, voluptatem non habet. habet autem, cum in termino est, & quieta possidet objectum. (*d*) Ratio autem cur non delectetur cùm est inquie-

(*b*) *sup. Disput. 1. q. 4. Prop. 1. §. 4.* (*c*) S. *Tho. 1. 2. q. 2. a. 6. ad 1.* (*d*) *Arist. 10. eth. c. 4.*

m, ea est, quòd operatio, quæ rationem delectatio-nis habet, non est pura, sed perturbata ex attentione ad alia objecta; neque ita intenta, ut esset, si alia objecta sese non objicerent potentiæ; neque ita clarè repræsentans perfectionem sui objecti, ut repræsentaret, si potentia illi soli objecto esset intenta.

Quasi venustatis.] Ratio venustatis videtur potius ad operationes potentiarum cognoscitivarum, quam appetitivarum pertinere. Videtur enim esse expressior quædam objecti apprehensio, & representatio venustatis, bonitatis, proportionis, quæ est in objecto: quæ expressio est veluti quædam operationis venustas; ut indicat Arist. 10. eth. c. 4. In potentia appetitiva voluptas est adhæsio ad obiectum ita clarè repræsentatum per operationem potentiæ cognoscitivæ. Confirmari hæc possunt ex experientia: experimur enim apprehensiones obiectorum confusas, non esse jucundas.

Circa objectum potentiæ proportionatum.] Quòd ex proportione inter potentiam & objectum oriatur voluptas, docet experientia, & Arist. 10. eth. c. 4. illis verbis: *Quousque autem sensibile, vel intelligibile, & id, quod judicat, vel contemplatur, tale fuerit, quale esse debet, in operatione inerit voluptas. Cùm enim id & quod ut afficiatur, & quod ut afficiat idoneum est, similia sunt, & inter se eodem modo sese habent, idem fieri natura consuevit.* Ex hac proportione videtur oriri ut objectum optimum sit ex se jucundissimum: quia optimum est maximè proportionatum potentiæ, explens proportionem, & adæquans capacitatem illius: si autem ita excellat, ut superet capacitatem potentiæ non est jucundum, quia excessus obiecti obruit potentiam, & interdum corrumpit organum.

Ea quies perfectio quædam est, &c.] Videtur voluptas

voluptas non esse distincta à parte rei ab operatione vitali. 1. Quia hoc indicat Arist. 10. eth. c. 4. *Perficit*, inquit, *operationem voluptas, non ut habitus quidam, qui inest, sed ut finis superexoriens: perinde atque venustas in iis, qui in flore ætatis constituti sunt.* Dum ait, Non esse habitum inhærentem, distinctionem tollit, & confirmat exemplo venustatis: venustas autem, quæ est proportio colorum, non distinguitur à parte rei ab ipsis coloribus simul sumptis. 2. Quia non apparet ulla ratio sufficiens ad ponendum distinctionem. Quòd autem quies & illa quasi venustas sint perfectiones operationis vitalis, nemo non videt; quia venustas est expressior obiecti apprehensi; quies, est possessio terminata. Hæc autem non habent distinctionem ab ipsa operatione, nisi per intellectum: quia nulla potest afferri ratio suadens distinctionem à parte rei. Distinguuntur autem per intellectum, quia alius est conceptus apprehensionis, alius venustatis, & quietis. Conceptus autem venustatis, & quietis, posteriores ratione sunt conceptu absolutæ apprehensionis, seu possessionis: quia illi hanc perficiunt. Jam absoluta possessio summi boni satis est ad rationem felicitatis, quia ratione obiecti summã perfectionem ponit in homine, etiam si positio illa possit esse perfectior, ut dictum est suprà q 1. prop. 4. ad 2. ergo venustas, & quies, hoc est, (c) voluptas, non est de ratione formali felicitatis, sed proprietas illius: quicquid enim supervenit rationi formali, accidentis, & proprietatis rationem habet respectu illius. Ita sentire videtur Arist. 10. eth. c. 3. in fine, dum ait, voluptatẽ non esse ipsũ per se bonũ; & circa multa studiũ esse homines adhibituros, etiã

(c) S. Tho. 1. 2. q. 2. a. 6.

si nullam afferrent voluptatem. ex quibus verbis colligitur Positionem summi boni esse de ratione felicitatis, quæ est objectum ultimum appetitus rationalis; & voluptatem esse quid consequens.

Sed quod voluptas sit de essentia felicitatis probabit quis 1. Quies, quæ rationem voluptatis habet, est ipsamet operatio: at operatio est de essentia felicitatis, ut q.1. dictum est 2. Nemo felicem appellabit eum, qui vitam degit injucundam, ergo jucunditas est de essentia felicitatis.

Ad 1. R. Posse aliquid esse à parte rei idem cum alio, & tamen non esse de essentia illius; ut se habet, ut multi Doctores opinantur, relatio respectu fundamenti, existentia respectu essentiæ, & alia sexcenta. Dicendum ergo ad essentiam operationis pertinere, quòd sit circa tale objectum; ex quo ordine speciem sumit: quod autem quiete tale objectum percipiat quid accidentarium est ad ejus rationem specificam. Videtur ita se habere voluptas respectu operationis, ut figura respectu quantitatis.

Ad 2. R. (f) Eum, qui vitam degit injucundam, vix posse habere operationem circa summum bonum, saltem dum injucunditatem percipit; quia operatio circa objectum molestum operationem circa objectum bonum corrumpit. At si contingeret non corrumpere, dicendus esset felix essentialiter is, qui secundùm aliquam operationem sentit injucunditatem; sed non perfectè felix, quia caret voluptate, quæ est felicitatis quædam perfectio. Hæc autem perfectio, quæ naturaliter ab omnibus appetitur, facit ut vulgò non putetur felix, qui vitam jucundam non agat. In Christo Domino do-

(f) *Vid. sup. q.1. Prop.3 ad 5.*

lor,

lor, quem animo percipiebat tempore Passionis, nihil remisit de jucunditate visionis beatificæ. quare etiam tunc quoad beatitudinem essentialem fuit perfectissimè beatus.

Quæ hactenus de voluptate disputavimus, spectant ad rationem voluptatis latè sumptæ pro quocunque suavi, ac jucundo sensu, quem secum afferre solet operatio vitalis, cùm perfecta est, & versatur circa objectum conveniens. est autem alia quædam ratio voluptatis strictè sumptæ pro peculiari quodam actu appetitus, quo complacet de bono præsenti ut possesso, qui actus in appetitu sensitivo est quædam Passio, quæ dicitur Delectatio, estque contraria Tristitiæ. de hac voluptatis ratione dicetur d. 3. q. 1 Prop. 2. Quod autem delectatio strictè sumpta distinguitur à voluptate, quæ est in actibus sensuum, patet ex eo, quod appetitus sensitivus, cujus est actus delectatio strictè sumpta, est in corde, ac proinde ejus actus fit in corde. voluptas autem quæ ex actibus sensuum percipitur, sentitur in organis sensuum. Quod si delectatio appetitus sensitivi est distincta à voluptate sensuum: (g) dicendum quoque est delectationem appetitus rationalis, quæ appellatur fruitio, esse distinctam à jucunditate, ac suavi sensu, qui ex actu intellectus percipitur circa objectum jucundum. quod indicare videtur Arist. 10. eth. c. 7.

(g) *S. Tho. 1. 2. q. 2. a. 6. & q. 4. a. 2.*

II. PROPO-

II. PROPOSITIO.

De Perpetuitate Felicitatis.

Felicitatis perpetuitas, duratio quædam est constans, & firma contemplationis circa summum bonum. Duratio autem passio quædam est existentiæ, ergo Perpetuitas, existentis contemplationis circa summum bonum, ac proinde felicitatis est passio.

PRobari posset Perpetuitatem ad felicitatis essentiam attinere. 1. Quia Arist. hoc innuere videtur 1. eth. c. 10. 2. Quia nemo felicem putat eum, qui potest è felici statu cadere; nec eum, qui scit se aliquando miserum futurum.

Sed Perpetuitatem esse felicitatis passionem suadetur ex eo, quod in qualibet re illæ tantùm rationes spectant ad essentiam, quæ sunt primum principium aliarum rationum, quæ sunt in re, & effectuum ab illa prodeuntium. Primum autem principium in homine felici omnium rationum ad felicitatem spectantium, etiam ipsius Perpetuitatis est contemplatio summi boni. Nam summum bonum ita capacitatem intellectus explet, cùm habeat omnem veri rationem, ut cùm illud intellectus possidet, nolit voluntas illud unquã ab intellectu relinqui, & ad alia objecta diverti: neque est ulla ratio, quantũ est ex parte proportionis, quam habent intellectus, & voluntas cum summo bono, cus hæ potentiæ aliò divertantur: hinc fit, ut contemplatio summi boni ex se perpetua sit. Sed in hac mortali vita accidit eam non esse perpetuã: quia intellectus in sua operatione pendet ab imaginativa, quæ dũ rapitur ab objectis sensibilibus, operationẽ intellectus perturbat,

turbat, & interrumpit. Præterea in hac vita non cernitur clarè in summo bono omnis ratio boni: ideo cum sensus repræsentant clarè in creaturis aliquam rationem boni, solet appetitus rationalis ad illam rapi. Præterea cogitur intellectus in hac vita cogitare de iis, quæ sunt corpori necessaria; ideo divertitur à cogitatione summi boni. Quæ quia non accidunt in vita cælesti, & immortali, ideo cælitum felicitas est perpetua. Ex his intelligitur possessionem summi boni ad essentiam felicitatis pertinere; perpetuitatem autem esse passionem illius, quia profluit ab illa. Confirmatur, quia actualis possessio summi boni non habet ex duratione, nisi quandam virtualem extensionem, quatenus ea possessio coexistit extenso temporis spacio: at extensio in qualitate (contemplatio autem qualitas est) non spectat ad qualitatis essentiam.

Ad 1. & 2. Resp. Felicitatem interdum sumi solere, non pro sola ratione formali felicitatis, sed etiam pro toto aggregato ex ratione formali, & ejus accidentibus, ac ornamentis: in his ornamentis maximum est Perpetuitas; quæ proinde ad felicitatis ita large sumptæ rationem maxime spectat. Qui ergo felicitate carere potest, licet felix sit felicitate essentiali, non est tamen felix hac altera felicitatis ratione, nec habet felicitatem suis accidentibus perfectam. Præterea non putatur felix, quia spectatur illud tempus, cum non erit felix; quo tempore præterita felicitas ita se habet, ac si nunquam fuisset. (b) Præterea posset accidere ut cogitatione futuræ miseriæ turbaretur, & corrumperetur contemplatio erga summum bonum: & ita felix non esset, quia ratio formalis felicitatis cessaret.

(b) *Vid. Valent. t. 2. d. 1. q. 5. p. 4.*

III. PROPOSITIO.

De Amore concupiscentiæ in summum bonum.

Cum duobus modis contingat appetitum erga bonum affici, aut absolutè, & propter ipsum bonum, aut propter aliud: prior affectus absolutè amor, posterior concupiscentia, seu Amor concupiscentiæ appellatur. Ita summum bonum, quod est felicitatis objectum, & amari propter seipsum potest, quia summum bonum est; & amari, quia nobis bonum est. Concupiscentia, passio quædam est amoris, quo summum bonum propter se ipsum amatur.

QUod summi boni concupiscentia passionis rationem habeat ad felicitatem comparata, probatur 1: Prius est esse bonum sibi, seu in se, quàm esse bonum alteri; & ideo aliquid est bonum alteri, quia est bonum in se. ergo esse bonum in se, ut prima, & essentialis ratio se habet, ex qua ut passio quædam profluit esse bonum alteri. Item operationes vitales sequuntur naturam objectorum, circa quæ versantur. ergo Amor summi boni, quo amatur summum bonum ut in se bonum est, se habet ut principium, ex quo profluit concupiscentia summi boni. hæc ergo ut passio se habet ad amorem comparata. 2. Felicitas habet rationem ultimi, ut q. 1. dictum est. at concupiscentia summi boni non habet rationem ultimi, tum quia per illam amatur summum bonum ut aliquid amantis, ac proinde ut pars illius, ac medium ad totale bonum amantis, tum quia per concupiscentiam amatur summum bonum propter bonum amantis, ac proinde formalis ratio amoris est ipse amans, qui non est summum,

&

& ultimum bonum. tum quia per concupiscentiam non amatur summum bonum ut summum bonum, id est, omnem bonitatis rationem habens; sed ut bonitatem habet respectu amantis. ergo concupiscentia summi boni rationem felicitatis non habet. 3. Cum summum bonum habeat omnem rationem boni; in amore, quo amatur summum bonum ut summum bonum, continetur eminenter amor in bonum amantis. ergo si amori erga summum bonum addatur formalis amor concupiscentiæ, is amor rationem accidentis habebit respectu illius. Jam si concupiscentia se habet ut passio respectu amoris erga summum bonum, (*i*) qui amor se habet ut passio respectu contemplationis circa summum bonum, in qua contemplatione essentialis felicitas posita est: ergo multò magis se habebit ut passio concupiscentia respectu felicitatis essentialis.

IV. PROPOSITIO.

De Actione.

Actio, de qua nunc agitur, est operatio, quæ versatur circa bonum hominis operabile. Bona autem hominis operabilia, sunt tum objecta trium virtutum moralium, Justitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ; tum ipsa possessio summi boni, id est, contemplatio Dei; tum adhæsio ad illud, qui est Amor in Deum; non autem ipse Deus. Ad Actionem spectat cognitio practica intellectus, quæ actionem dirigit, ut intelligitur ex iis, quæ de Prudentia dicta sunt. Actionem ita sumptam putamus non pertinere ad felicitatis essentiam, sed esse passionem illius.

(*i*) *Sup. q. 1. prop. 3.*

Ultima

Ultima Propositionis pars probatur. (*k*) Felicitas est possessio summi boni, & operatio, quæ versatur circa ultimum finem, ut in prima quæst. probatum est. at objectum actionis non est summum bonum, ut ex hac propositione intelligitur, sed medium ad illud. ergo actio felicitatis rationem non habet.

Contra objici potest 1. in Psal. 1. hominum beatitudo dicitur esse posita in actione, & Psal. 118. *Beati*, inquit, *immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. 2. Arist. 10. Eth. c. 6. & 8. agit de beatitudine activa, quam distinguit à contemplativa, & ait eam esse positam in exercitio virtutum moralium. 3. Felicitas est bonum hominis, ut homo est: est autem maximum hominis bonum actio; quæ si versetur circa bonum aliorum, divinissimum quiddam est, teste S. *Dionysio*.

Sed non est à nostra sententia discedendum, tum quia eam manifeste suadet ratio ad probationem Propositionis allata; tum quia eam docet Arist. Nam. 1. Eth. c. 12. ait felicitatem non esse ex iis, bonis, quæ laudantur. & 10. Eth. c. 7. affert rationes, quæ probant solam vitam contemplativam ad essentiam felicitatis pertinere. ait enim illam esse præstantissimam, assiduissimam, jucundissimam, minime omnium indigentem aliis, nullis negotiis perturbatam, indefatigabilem, perfectam, ad nullum alium finem ordinatam, & quid divinum si ad humanam vitam comparetur. ergo vult Arist. eam solam esse summum hominis bonum. ergo eam solam vult rationem essentialem felicitatis habere; cujus ratio est, esse summum hominis bonum.

(*k*) *S. Th.* 1. 2. *q.* 3. *a.* 5.

Ad 1. Resp. Quod, quemadmodum Ratio entis est ratio analoga, quæ principaliter convenit substantiæ, accidenti autem per attributionem ad substantiam: ita est analoga ratio Boni, ac proinde felicitatis, quæ præcipue convenit bono illi, quod in homine habet rationem ultimi, & perfectissimi respectu aliorum bonorum hominis; secundario autem, & per attributionem ad felicitatem essentialem, convenit etiam mediis ad illam, tum quia participant de bonitate illius, tum quia etiam ipsa habent rationem ultimi respectu quorundam bonorum, licet non respectu omnium. Hoc secundo modo vita activa dici solet felicitas, quia via est ad essentialem felicitatem. est ergo actio beatitudo, sed accidentalis. vel dicendum dici à Davide eos, qui ambulant in lege Domini, (*l*) Beatos non quidem re, sed spe; ut etiam à Christo Domino Matth. 5. dicuntur beati Pauperes spiritu, & qui persecutionem patiuntur propter justitiam, &c.

Ad 2. Resp. ex eo, quod Arist. vitam activam vocat felicitatem, non posse colligi eam habere rationem felicitatis essentialis. Potest enim vocari felicitas etiam ea, quæ accidentalis est. ut enim bonum dicitur etiam accidens: ita felicitas potest dici omne bonum, quod spectat ad hominem, etiam si se habeat ut accidens respectu boni ultimi, & perfectissimi.

Ad 3 Resp. Non omne, quod bonum hominis est, esse felicitatem essentialem. Actionem quæ versatur circa bonum aliorum, dici quid divinissimum non absolute, sed respectu omnium aliorum bonorum hominis, excepta felicitate; vel, non ratione

(*l*) *Maldonat. in Matth. 5.*

sui,

sui, sed ratione radicis, ex qua procedit, quæ solet esse excellens quædam charitas in Deum, quæ solet in actionem prodire, qua procurat ut Deus, quem ipsa ardenter amat, ab aliis etiam diligatur: Ardens autem charitas excellentem boni summè amabilis cognitionem supponit, in qua essentialis felicitas posita est.

V. PROPOSITIO.

De Bonis corporis, & externis.

Bona corporis sunt valetudo, pulchritudo; Bona externa, divitiæ, soboles, nobilitas, honor, gloria, subditi, amici. Nullum quidem ex his ad felicitatis essentiam pertinet: ornamenta tamen illius sunt omnia: quædam ut necessaria media, sive instrumenta se habent ad felicitatem.

QUod nihil horum formalem rationem felicitatis habeat, & docent Stoici, & (*m*) Christiana doctrina, & manifestum est ex iis, quæ hactenus disputata sunt. Quare, cum Arist. 1. eth. c. 8. ait felicitatis non admodum compotem illum esse, qui vel specie prorsus deformis, vel genere ignobilis, vel solitarius est, ac prole carens: intelligendus est loqui, non de essentiali felicitate; sed de ratione quadam perfectissima felicitatis, quæ est aggregatum ex ratione essentiali, & ex accidentibus, ac ornamentis illius; in quibus sunt quædam præcipua, quorum aliquo si homo careat, non putatur felix, felicitate scilicet amplè sumpta; cum tamen sit felix felicitate essentiali.

(*m*) *Vid. Valen. t. 2 d. 1. q. 4. p. 3.*

(*n*) Quædam

(n) Quædam ex bonis, quæ in Propositione numerata sunt, habent se ut media necessaria ad felicitatem naturalem, nempe ea, ex quibus pendet contemplatio summi boni, ut est ea corporis dispositio, ac valetudo, sine qua sensus externi ad disciplinam necessarii, & phantasia, cum qua connexionem habet intellectus in operando, non possent exercere operationes suas: ut etiam sunt ea bona externa, quæ si absint, contemplatio aut non habetur, aut interrumpitur. Hoc modo necessaria est societas alicujus amici, qui amicum ea doctrina imbuat, qua ad summi boni contemplationem pervenitur: necessarium est tantum divitiarum quantum est opus ad corpus alendum pro contemplationis exigentia. Porro ad actionem, in qua præcipua quædam accidentalis felicitatis pars posita est, multò major horum bonorum copia requiritur, quàm ad contemplationem, ut explicat Arist. 1. eth. c. 8. & 10. & lib. 10. c. 8.

VI. PROPOSITIO.

De Amicitia.

Amicitia, est amor benevolentiæ mutuus cognitus. Intercedere autem potest amicitia cum Deo, cum Angelis, cum Hominibus. ex amicitiis ea, quæ cum Deo intercedit, præcipua passio felicitatis est: ceteræ amicitiæ, quæ Deum non spectant, ornamentorum tantùm, aut mediorum rationem habent, ad Dei contemplationem, & amorem comparatæ.

(n) S. Th. 1. 2. q. 3. a. 6. & 7.

Amicitia,

Amicitiæ ratia formalis.

1. *Amor benevolentiæ mutuus cognitus*) Hæc est ratio formalis amicitiæ, in qua multa includuntur. Quæ ut melius intelligantur, sciendum (*o*) Amorem nihil aliud esse, quam complacentiam rei appetibilis, seu rei habentis convenientiam cum appetitu, à quo est amabilis. Duplici autem modo complacere possumus de bono aliquo, nempe vel absolute, id est, ut illud bonum est in se, & amabile propter se, ut tota amoris ratia sit bonum, quod habet in se, ac illud bonum sit amoris terminus; complacemus de bono aliquo respective, & in ordine ad aliud, quia bonum alteri est. Prior complacentia dicitur Amor benevolentiæ, quia ex eo amore oritur, ac fluit Benevolentia, *p* quæ proprie est actus voluntatis, quo alteri bonum volumus, ex eo enim quod aliquid amatur, fit ut appetantur ea, quæ illi convenientia sunt. Posterior complacentia dicitur amor concupiscentiæ, quo amatur bonum, quod alteri volumus. (*q*) Differunt autem inter se actus Benevolentiæ, & Concupiscentiæ, quod licet uterque includat duo, nempe & bonum, quod amatur, & subjectum, cui amatur: in Benevolentia præcipuam rationem habet subjectum, cui bonum volumus: in concupiscentia ratio præcipua est bonum, quod amatur; subjectum se habet ut terminus connotatus. Rursum amor benevolentiæ differt ab ipsa benevolentia, quod Amor dicit simplicem complacentiam, ut explicatum est: Be

(*p*) *S. Th.2.2.q. 27. a.2.* (*q*) *Valen.t. 2.d. 3.q. 2.p. 3.*

nevolentia.

nevolentia verò duplicem complacentiam includit & subjecti, & boni ei convenientis. Porrò de ratione formali amicitiæ videtur esse tantùm simplex illa complacentia, modò sit mutua, & cognita, sine actu benevolentiæ. Tum quia nulla apparet ratio, quæ suadeat eam complacentiam non debere dici amicitiam. Tum quia ea complacentia secluſa benevolentia habet completam rationem primi principii, unde oriuntur omnes effectus amicitiæ, de quibus infra dicemus. Tum quia illa eminenter, & virtualiter continet actum benevolentiæ, ut patet conſideranti. Dicimus autem in ratione formali amicitiæ includi Alteritatem, ſeu rationem mutui amoris cogniti: quia nemo dicet amicitiam amorem non mutuum, aut non ab utroque amante cognitum: & ita docet Ariſt. 8. eth. c. 2. dum ait. Benevolentiam in mutua affectione amicitiam esse. ubi definit Amicitiam per ejus præcipuum effectum, qui est Benevolentia, & c. 3. *Tres*, inquit, *æquales numero amabilibus amicitiæ ſpecies ſunt: quippe cum in unoquoque ſit redamatio non latens.* Formali amicitiæ ratione posita, facile est intelligere omnes ejus cauſas, genera, effectus, & proprietates; quorum aliqua operæ pretium est hoc in loco breviter attingere: quia ex eorum cognitione tum ipſa Amicitiæ ratio meliùs intelligetur, tum reliqua, quæ in hac 6. Prop. ſunt explicanda.

Amicitiæ ſubjectum.

2. Subjectum Amicitiæ ſunt Perſonæ, inter quas intercedere potest aliquod jus. Perſona dicitur ſuppoſitum habens naturam intellectualem.

(r) Jus,

(r) Jus, est justum, seu æqualitas, quæ fit per operationem justitiæ; ut cum fit recompensatio mercedis debitæ pro servitio impenso. Quod subjectum amicitiæ sint suppositа intellectualia probatur, quia Amicitia est Amor benevolentiæ: at benevolentia non est, nisi erga suppositа intellectualia. (s) reliqua enim ut bruta, & sensu carentia solùm amantur amore concupiscentiæ. Quod personæ, ut sit subjectum amicitiæ ita se debent habere, ut inter ipsas intercedere possit aliquod jus, suadetur ex eo, (t) quod ea, inter quæ non potest intercedere jus, ita se habent, ut nihil sit utrisque commune, sed quidquid unum est, aut habet in se, ordinetur ad utilitatem non suam, sed alterius; cujusmodi est instrumentum respectu agentis, & servus ut servus respectu domini: at erga ea, quæ eo modo subordinantur alteri, non potest esse amor benevolentiæ, sed concupiscentiæ. Ex his intelligitur inter regem & subditos, parentes & filios, inter dominum & servum, non ut servum, sed ut hominem, posse esse amicitiam, quia potest esse jus: Posse etiam esse inter Deum, & homines; quia Deus hominum opera, quæ simul sua sunt, non ad suam, sed ad hominum utilitatem ordinat; & promittendo bonis operibus mercedem, jus tribuit hominibus ad bona sua; & communicando seipsum hominibus, facit sua etiam hominibus communia. An autem potest unius amicitia extendi ad multos? (u) Videtur vera amicitia, quæ in honestate morali fundatur, de qua infra, quoad redamationem posse quidem

(r) S. Tho. 2. 2. q. 57. a. 1. (s) Arist. 8. eth. c. 2. (t) Arist. 8. eth. c. 11. (u) Arist. 8. eth. c. 6.

ad

ad multos extendi, quia possunt esse multi viri probi, à quibus vir bonus redametur, & quibus placeat; quia tamen non facilè contingit in omni hominum cœtu proborum multitudo, rarò illud genus amicitiæ ad multos extenditur quo ad redamationem. Potest tamen extendi ad omnes homines, etiam ad inimicos, quoad amorem, cujus objecti ratio sit, Deus. omnes enim homines amabiles sunt, ut imagines Dei sunt, & capaces ipsius, & amabiles ipsi.

Amicitiæ objectum.

3. Amicitiæ objectum est, (x) simile amans. Amans, quia cum amicitia sit amor mutuus, seu redamatio cognita, cadit in objectum amoris, qui est in uno amante, redamatio alterius amantis. Quare non est perfecta amicitia si solum amatur amicus, quia similis est; nisi etiam ametur, quia redamans est. Similitudinem autem intelligimus eam proportionem, quam habet bonum, quod est in uno amante, cum altero amante. non enim fertur appetitus actu amoris, nisi in objectum proportionatum appetenti, ut patet inductione. Proportionem autem habent inter se duo supposita. vel quia sunt ejusdem rationis, vel quia unum se habet ut pars, vel proprietas respectu alterius, vel quia unum se habet ut causa, seu totum respectu alterius. ejusdem rationis sunt quæ sunt ejudem naturæ, aut eorundem morum: ut pars se habet filius respectu patris, & bonum utile respectu amantis illud in al-

(x) *Arist. 8. eth. c. 3. & l. 9. c. 3.*

tero

tero: ut proprietas se habet pulchritudo respectu amantis illam in altero; ut causa, & totum se habet Pater respectu filiorum. ex quibus intelligitur, quæ sit ratio, ex qua oritur amor, (y) nempe, quia naturali appetitu omnia appetunt bonum suum, quare cum quis invenit in alio aut alterum se, aut aliquid sui, amat in altero seipsum, seu bonum suum. invenit autem in alio alterum se, cum invenit in illo eandem naturam, aut eosdem mores. omnes autem rationes amandi reducuntur, ut patet, in tria capita, nempe in bonum honestum sive naturale, sive morale, in bonum utile, in bonum jucundum. Ex quibus rursum intelligitur Amorem facere ex amante, & re amata unum quid: quia duo fiunt unum, cum posita proportione, quam habent ad invicem, accedit nexus inter illa: at amor est quidam nexus vitalis inter appetitum, & bonum sibi proportionatum, quia est complacentia appetitus de bono sibi proportionato; complacentia autem est genus quoddam unionis, ut patet. ergo amor facit unum. Facit autem unum trahendo amantem ad rem amatam, quia complacentia egreditur ex amante in rem amatam, cum sit actus amantis erga bonum sibi. & ideo amor dici solet tendentia appetitus in bonum objectum.

Amicitiæ genera.

4. Amicitiæ genera ex objecto colliguntur, ex quo amor speciem sumit. objectum autem triplex est, ut paulo ante dictum est, bonum honestum, utile, jucundum. & rursum Honestum duplex,

(y) *Arist. 8. eth. c. 3.*

Naturale,

Naturale, & Morale. quare præcipua amicitiæ genera quatuor sunt (z). 1. Amicitiæ naturalis, ad quã plures species spectant, ut ea quæ est inter Patrem, & filios, quæ inter fratres, quæ inter conjuges. 2. Amicitiæ Moralis: quæ in plura genera dividi potest, ut in Sodalitiam, quæ est inter pares; in Regiam, quæ est inter Regem, & subditos. 3. Amicitiæ utilis, cùm alter alterum benevolentia prosequitur, quia utilitatem ex illo consequitur: qualis amicitia solet esse inter mercatores. 4. Amicitiæ jucundæ, cùm eatenus amicum diligimus, & ei bonum volumus, quatenus nobis jucundus est: qualis solet esse amicitia inter juvenes. (a) In his generibus nobilissima, & maximè propriè amicitia est Moralis, tum quia circa nobilissimum objectum versatur, nempe bonum hominis, ut homo est; tum quia tota pendet ex electione; nihilque habet sensitivi affectus conjunctum; tum quia sincerus benevolentiæ amor est, & maximè proprius; tum quia in maxima similitudine fundatur, & in proportione æqualitatis; tum quia maximè omnium habet effectus, & proprietates amicitiæ, ut sunt Bonorum communio, jucunditas, firmitas. ultimum locum habet amicitia utilis, quia minimè omnium habet amorem benevolentiæ, minimè omnium amicitiæ proprietates. (b) & cùm tam utilis, quàm delectabilis amicitia, bonum, quod vult amico, referat ulterius ad bonum amantis, id est, ad utilitatem, & delectationem illius: inde fit, ut utraque amicitia, quia trahitur ad amorem concupiscentiæ, à veræ amicitiæ ratione deficiat.

(z) *Arist. 8. eth. c. 11. & 12.* (a) *Arist. 8. eth. c. 4.* (b) *S. Tho. 1. 2. q. 26. a. 4. ad 3.*

Amicitiæ efficiens.

5. Principium Amicitiam efficiens præcipuum videtur esse id, quod proponit appetitui rationali bonum amabile, quod est in alio, ut Naturæ præstantiam, virtutum ornamenta, beneficentiam, pulchritudinem, & similia: eo enim bono allicitur appetitus ad amandum. (c) Principium etiam amicitiæ est benevolentia. Maximè autem ad excitandum amorem valent beneficia, quiâ ratio amandi alterum est amor nostri, ut diximus cum de objecto: beneficia autem in nos ab alio collata, fiunt maximè bonum nostrum. Sed adhuc majus invitamentum amoris est ipse amor alterius erga nos, tum quia is amor est fons benevolentiæ, ac beneficiorum alterius erga nos: tum quia multò magis amamus nos ipsos, quàm alia bona nostra; amoris autem alterius erga nos objectum sumus absolutè nos ipsi. Ideo Amor dicitur primum donum, quia principium est aliorum donorum, & qui nos amat, quantum ex ipso est, dat nobis nos ipsos, dum habet complacentiam de nobis, ut nobis, non ut utilibus sibi, quæ esset complacentia concupiscentiæ. Imò ipsa beneficia non excitant amorem in eum, à quo proficiscuntur, nisi quatenus sunt amoris indicia: Jam ad mutuum amorem, & amoris redamationem, in qua formalis ratio amicitiæ posita est, requiritur aliquid, quod sufficienter faciat devenire utrumque amantem in cognitionem amoris, qui est in altero. Præstat hoc in primis mutua beneficiorum collatio cognita; quia beneficia sunt maxima amoris indicia. Beneficiorum autem mutua collatio, seu bonorum communicatio non solet esse sine mutua præsentia: ideo inter principia ami-

(c) *Arist. 9. eth. c. 5.*

citiæ

citiæ conciliandæ societas est. Ex his colligitur inter superiorem, & inferiorem, cùm est inter eos magna differentia, & status inæqualitas, non facile contingere amicitiam: quia non solet esse inter eos societas, nec bonorum mutua communicatio. Societas enim iniri solet inter homines ob indigentiam, quia unus indiget auxilio, & bonis alterius: at superior ut superior non indiget inferiore. (d) Posset autem contingere, ut inferior divitiis, esset altero superior bonitate, aut doctrina; & tunc facilè iniri posset inter eos amicitia: quia defectus unius boni, qui est in uno, compensaretur excessu alterius boni, quod est in altero, & fieret æqualitas, ac mutua boni cujusque proprii communicatio. Porro inter Deum, & homines, quamvis sit infinita perfectionis distantia, contingit amicitia: quia Deus ob suam infinitam bonitatem, non dedignatur hominum societatem, & (e) quia est primum omnium rerum principium, in quo vivimus, movemur, & sumus, non longè abest ab hominibus, & amat homines ut opus, & (f) genus suum, & eo ipso, quod tribuit illis existentiam, prævenit eos amore, ac beneficiis, ut non sit opus hominum beneficiis erga ipsum ad excitandum ejus in homines amorem. Principium ergo, seu ratio amicitiæ in Deo erga homines non sunt hominum beneficia, sed Dei bonitas, & ratio primi principii. Principium autem ex parte hominum ad redamandum Deum est debitum gratitudinis, & Dei bonitas infinitè amabilis, & dependentia in omnibus à Deo, quæ facit infinitam distantiam ab ipso Deo. (g) Porro negandū non est

(d) *Arist. 8. eth. c. 6.* (e) *Act. 17. 28.*
(f) *Ibid. num. 29.* (g) *Cicer. de amicitia.*

probitatem, præsertim excellentem, etiam in homine maximis bonis abundante, ac longè aliis superiore, esse causam ut is ineat societatem cum inferioribus. Bonum enim diffusivum est sui; & amat aliis communicari. Atque de principio amicitiam efficiente hæc satis.

Principium autem amicitiam conservans videtur potissimum esse Remotio eorum, quæ jus amici lædere possunt. Malum enim non est obiectum amoris, sed odii: quod autem jus alicujus lædit, bonum tollit illi debitum; tollere autem bonum, est esse causam mali: mali autem causa, mala est ei, cui mali causa est: quare mali causa ut sic, non potest esse obiectum amoris. Porro inter alia, quæ amanti debentur, primum locum obtinet Redamatio, secundum gratitudo. Adhibenda ergo est ad amicitiam conservandam Redamatio, & grati animi significatio. Quamvis autem amico interdum multo plura debeantur, quàm alter ei tribuere possit: non intelligitur tamen jus amici lædi, ac proinde conservatur amicitia, si alter tantum amico tribuat, quantum potest. conservatur etiam amicitia, & augetur iisdem, quibus acquiritur, nempe beneficiis, & Bonorum communicatione; mutua præsentia, & amici societate. Absentia, cùm est diuturna, solet amicitiam corrumpere: quia tollere solet amici, & beneficiorum memoriam, quæ est cognitio quædam amici, & beneficiorum ejus. amor enim pendet à cognitione obiecti amabilis. quare ea cognitione per absentiam sublata, corrumpitur amor. ergo ad conservandam amicitiam cum absentibus, renovanda crebrò est absentium memoria. quod fieri potest mittendis mutuò literis,

(h) *Arist. 8. eth. c. ult.*

ac

ac munuſculis. conſervat etiam amicitiam concordia. i. judiciorum, & voluntatum conſenſio circa agenda. de qua Ariſt. 9. eth. c. 6.

Jam principium amicitiæ reconciliandæ, cùm læſum eſt amici jus, eſt ex parte lædentis reſtitutio, & recompenſatio boni ab amico ſublati, & amoris ſignificatio: ex parte verò amici offenſi, eſt injuriæ condonatio.

Amicitiæ effectus, ſive proprietates.

6. Amicitiæ effectus multi ſunt. quorum plerique ſunt etiam amicitiæ principia. ut enim qualitates, quæ ſunt principia, & diſpoſitiones ad formã, ſunt etiam formæ effectus: ita contingit in amicitia.

Primus effectus, Benevolentia, qua volumus bonum amico. de qua ſupra *Benevolentia*, dictum eſt. An autem amicus amico maxima ex bonis volet? (i) Dicendum amicum noluturum in amico eum in bonis exceſſum, qui putatur amicitiam ſoluturus ob magnam ſtatus differentiam, quæ ſocietati contraria eſſe ſolet; aut ſibi damno futurus. Cæterum, qui alium amat Dei cauſa, volet illi omne bonum poſſibile: quia illud cenſetur velle Deo, in quo exceſſus infinitæ bonitatis, cauſa eſt cujuſque boni in nobis, ac ejus nobiſcum ſocietatis. quod non videtur fuiſſe intellectum ab Ariſt. 8. eth. c. 7. ubi indicat inter Deum, & homines non contingere amicitiam ob inæqualitatem. quamquam infra c. 12. innuit oppoſitum, illis verbis: *Eſtque amicitia filius erga parentes, & hominibus erga Deos tanquam erga bonum quoddam, atque excellens. quippe cùm ſint in cauſa ut ſint, & nutriti atque educati fuerint.* Porro Benevolentia maximè proprius effectus eſt amicitiæ moralis, ſeu ejus, quæ in morum honeſtate fun-

(i) *Ariſt. 8. eth. c. 7.*

datur, cum enim hæc minimè omnium suam utili-tatem spectet: maximè omnium volet amico bona.

Bonorũ communicatio. Secundus effectus est (*k*) Bonorum cõmunicatio, quæ consequitur ad Benevolentiam, ut patet. vera autẽ amicitia omnia, quæ potest, bona communicat, & procurat amico; tum animi, ut eruditionem, consilium; tum externa, ut opes, gloriam. & quia qui vitam activam agunt, ut Rerum publicarum moderatores, pluribus ex iis bonis opus habent, quæ aliorum ministerium requirunt; quam ii, qui vitam contemplativam degunt: ideo major amicorum copia necessaria est illis, quàm his. Maxima bonorum communio cernitur in amicitia divina. tum quia quæcumque bona homines habent, tradita sunt hominibus ab ipso Deo: quæ præterquam quod ipsius Dei bona sunt, ex parte nostra censentur communicari Deo, cum ipsi accepta referuntur, & ipse eorum auctor agnoscitur, & libero arbitrio nostra omnia obsequio divino mancipantur: tum quia se totum Deus, qui est bonum infinitum, miris modis, ut fides docet, hominibus largitur, unione hypostatica, Eucharistiæ sacrosanctæ mysterio, visione beatifica.

Conformitas voluntatum. Tertius effectus. (*l*) Conformitas voluntatũ, seu indifferentia. est enim amicorũ idem velle, idem nolle. Est autem hic effectus maximè proprius amicitiæ moralis, in qua cum utriusque amici voluntas bona sit, neuter volet aliquid turpe, ac proinde nec amicitiæ læsivum. turpe enim est lædere jus amicitiæ: læditur autem amicitia maximè ex dissensione, seu differentia voluntatum: quia ea differentia

(k) *Arist. 8. eth. c. 8.* (l) *Arist. 9. eth. c. 6.*

tollit

tollit unionem voluntatum, quæ quo ad actum mutui amoris est ipsa ratio formalis amicitiæ.

Quartus effectus, (*m*) Mutua consuetudo. unio enim voluntatũ, quæ est amicitia, quia unio est, similem sibi effectũ facit, id est, ad unionem etiam præsentiæ, & consuetudinis amicos trahit, ut patet experientia. *Mutua consuetudo.*

Quintus, (*n*) Delectatio. Hic effectus maximè oritur ex amici præsentia. (o) est in amicitia morali maximus quia quale est bonum, talis est delectatio, quæ ad ejus possessionem consequitur. maximum autem bonum est amicus bonus, cui amando unimur, quem amando possidemus. Duplicem autem amicitia vera delectationem facit, passivam & activam. Passiva oritur ex objecto, id est, ex amico redamante (*p*). (hoc enim objectum jucundissimum est) & ex ipso amore in amicum, & ex beneficiis, quæ illi conferuntur. Activa existit ex subjecto, id est, ex amico, qui amans alterum amicum, & intelligens se ab illo redamari, curat ut illi placeat, eique jucundus sit quantum fieri potest. (*q*) Magis porro delectat benefacere, quàm beneficia recipere: quia magis amamus benefacere, quàm beneficia recipere, amamus autem magis benefacere; tum quia opus nostrum est, in quo novum esse quasi recipimus; tum quia magis honestum est benefacere, quàm beneficia recipere, objectum autem honestum est jucundissimum: tum quia magis laboriosum est, laboriosiora autem sunt jucundiora. ex quibus etiam sequitur magis esse jucundum amare, quàm amari. *Delectatio.*

(m) *Arist. 8. eth. c. 5.* (n) *Arist. 8. eth. c. 5.* (o) *Ibid. & c. 6.* (p) *Arist. 9. eth. c. 12.* (q) *Arist. 9. eth. c. 7.*

Sextus, Similitudo. Hic effectus ori-
Similitudo. tur ex vi amoris, qui cùm sit unio ad unionem inclinat, ac proinde ad ea, quæ majorem faciunt unionem. facit autem maximè unionem similitudo extremorum uniendorum. Amicus ergo verus intendit in se exprimere amici similitudinem quantum fieri potest, ut nexus amicitiæ sit major. Cùm enim amor in alterum oriatur ex amore sui, ut supra dictum est, magis trahimur ad amandum eum, in quo majorem nostri similitudinem cernimus. Ideo Deus volens esse veram amicitiam inter ipsum, & homines, sui similitudinem in eis expressit, producens eos intellectuales; & ut eos ad amicitiam supernaturalem evehat, producit in ipsos habitum gratiæ qua Deo maximè
Juris conservatio. similes reddimur, seque hominibus similem effecit, formam ipsorum in se recipiens, id est, humanã naturam.

Septimus, (r) Juris conservatio. vera enim amicitia nunquam vult amicum lædere; (s) quia sui corruptionem non vult. De conservanda amicitia, & rependendis beneficiis lege Arist. l. 9. eth. c. 1. & 2.

Octavus effectus, Stabilitas. Reddi-
Stabilitas. tur autem amicitia stabilis, ex perpetua conservatione juris, & similitudinis: (t) quæ conservatio cùm maximè sit in amicitia morali, ut ex dictis intelligitur: ideo firmitatis, & perpetuitatis effectus est amicitiæ morali maximè proprius. Porro omnium simul effectuum, quos numeravimus, primum principium est virtus, ac probitas, ut rectè docet Arist 9. eth c. 4 quia cùm ratio aman-

(r) *Arist. 9. eth. c. 11.* (s) *Cicer. de Amicitia.*
(t) *Arist. 8. eth. c. 3. 4. 6. 13. & 9. eth. c. 1.*

di

di alterum sit amor sui, ut supra dictum est: ut quis amat seipsum, ita amabit amicum, qui est alter ipse. Probus autem vir seipsum amans, & benevolus est in se, & omnia, quæ potest, bona sibi procurat, quæ propria sunt viri probi; & conformare nititur affectus sensitivos cum ratione; & gaudet secum ipse agere, ac sui consuetudine delectatur, quia nihil in se invenit, cujus considerationem refugiat; & pacem habet in se, justitiam, atque constantiam, ut patet consideranti. Probus ergo amans amicum, quia illum amat ut alterum se, amando producet eosdem effectus.

Hæc visa sunt nobis magis præcipua, quæ de amicitia disputaremus: reliqua legi possunt apud alios, qui de amicitia scripserunt, ut apud Cicer. libr. de Amicitia, apud Arist. l. 8 & 9. eth. cujus doctrina ex iis, quæ à nobis disputata sunt, intelligi facilè poterit. Jam ad reliquas Prop. 6. particulas explicandas pergamus.

Intercedere potest Amicitia cum Deo, cum Angelis, cum hominibus.] Est enim cum his similitudo in natura intellectuali, ac proinde potest inter hos esse amor mutuus cognitus. Docet etiam fides esse inter hos similitudinem in esse supernaturali ratione gratiæ. Quæ ad Dei cum hominibus amicitiam spectant, colligi facilè possunt, ex dictis suprà. Divini in nos amoris notitia habetur ex beneficiis: quicquid autem sumus, Dei beneficium est, effectus quartus amicitiæ, quæ est mutua consuetudo, & præsentia, respectu nostri dum in hac mortali vita degimus, habetur per contemplationem Dei, qui non longè abest ab unoquoq; nostrum; quamquam ea contemplatio non est intuitiva, sed abstractiva ex effectis Dei, per

speculum, & in ænigmate. (u) Potro amor erga Deum, quanquam oritur ex amore in nos ipsos, ut supra de obiecto amicitiæ dictum est; est tamen maior, quàm amor in nos ipsos, quia Deus ut totum se habet respectu nostri, & meliori modo sumus in Deo, quàm in nobis: totum autem nostrum, & nostrum melius, plus amabile est, quàm nos ipsi, qui pars sumus respectu illius, & infinito intervallo ab perfectione distamus. Alia, quæ ad amorem in Deum spectant, legi possunt apud S. Thom. 2. 2. à q. 23. & alios Scholasticos.

Ex amicitiis, ea quæ cum Deo intercedit, præcipua passio felicitatis est] Nam amor Dei est felicitatis passio præcipua, cùm immediatè fluat à contemplatione Dei, in qua posita est ratio formalis felicitatis; & sit adhæsio ad summum bonum; & radix felicitatis activæ, id est, actionis ergo & redamatio Dei, seu amor, quo amatur Deus, ut principium omnis nostri boni, ac proinde ut nos amans, qui actus est formaliter amicitia, ad passionem præcipuam felicitatis attinet.

Cæteræ amicitiæ, quæ Deum non spectant, oranamentorum tantùm, aut mediorum rationem habent ad Dei contemplationem, & amorem comparatæ] Amicitiæ erga homines spectant ad Deum, cum homines amantur, ut imagines Dei, ut filii, & amici Dei, ut amicabiles Deo. (x) Huiusmodi enim amoris ratio est Deus, spectat ergo is amor ad rationem præcipuæ passionis felicitatis, qui est amor in Deum. Non spectant autem amicitiæ erga homines Deum, cùm tota ratio amandi homines est absolutè ipsa hominis natura, & simpliciter bonum ad illam spectans. Cùm in his amicitiis amor non habeat pro

(u) *S. Tho. 2. 2. q. 26. a. 3.* (x) *S. Tho. 2. 2. q. 25. a. 1.*

obiecto

objecto ſummum bonum, neque proinde præcipuæ paſſionis rationem habet. Sunt autem hujus generis amicitiæ ornamenta quædam, & media ad felicitatem eſſentialem, & ad præcipuam paſſionem ornamenta, quia ſunt accidentalis quædam felicitas, & habent jucunditates maximas. Media 1. (y) Quia amici ſua doctrina juvant amicos ad Dei cognitionem & amorem acquirendum. cùm enim amici velint bona amicis, illud maximè bonum eis volent, quod eos felices reddit; quod Dei cognitio & amor eſt. 2. Quia amicorum conſuetudine Dei cognitio, & amor conſervatur, & augetur. Mutuis enim de Deo colloquiis, quales ſolent inter amicos eſſe, quaſi quidam ignis colliſione ſilicis, Dei cognitio, & amor exiſtit, ut docet experientia. 3. Quia dum degimus in hac vita, contemplando fatiganur, quare interdum, animus remittendus eſt ab intentione contemplationis, ut ſumptis viribus magis vividè contempletur. Nihil autem magis ad honeſtam animi remiſſionem valet, quàm amicorum conſuetudo. 4. Quia in cognitionem Dei, & amorem inducimur ex contemplatione operum Dei: maximum autem opus, & imago Dei eſt vir probus; cujuſmodi ſunt, qui amantur amicitia morali: amici autem ob mutuam conſuetudinem contemplationis mutæ objecta ſunt. 5. Quia major eſt ea felicitas, quæ ſuum bonum, & felicitatem magis advertit: hæc autem amicus magis advertit in amico, quo familiariter utitur, quàm in ſe ſolo, quia in amico intuetur alterum ſe, & valdè jucundum eſt intelligere, quòd is ſua ob bona lætetur. 6. Quia amor Dei maximè creſcit actionibus, quæ exercetur ob ipſũ Deum: juvant

(y) *leg. Ariſtot. 9. eth. c. 9. 11. 12.*

aut.

tem actionum exercitium amici, tum consiliis dandis, tum removendis impedimentis, tum laudando, tum se actionum subjectum exhibendo. 7. (y) Quia multa occurrunt tristia, quæ felicitatem perturbant: at ea amicorum aspectu, consiliis, & opere removentur. 8. Quia major est, & jucundissima ea felicitas, quæ felicitatem sui similem in aliis producit: producit autem dum amicus amicis animi sui sensa manifestat, quæ ad Dei cognitionem, & amorem spectant. Ideo quisque suas cogitationes appetit alteri communicare, quia eo modo in alterius animo seipsum exprimit. Sunt ergo amicitiæ humanæ in honesto morali fundata præclara media ad contemplationem, & amorem Dei. (z) Ex quo intelligitur quatenus amicitiis utendum sit, & quis numerus amicorum habendus, nempe qui contemplationem, & amorem Dei juvet, non impediat. Modus agendi cum amicis tum in prospera, tum in adversa fortuna legi potest apud Arist. 9. eth. c. 11. De modis monendi, objurgandi, monita recipiendi, & mutuis amicitiæ officiis, disputat Cicero lib. de Amicitia.

QUÆSTIO TERTIA.

De Principio Felicitatis Efficiente.

EX iis, quæ ad causam felicitatis efficientem attinent: ea solùm in hac quæstione disputabimus, quæ valent ad intelligendum modum acquirendæ felicitatis. Cùm autè duo sint ex parte homi-

(y) *Arist. 9. eth. c. 11.* (z) *Arist. 9. eth. c. 10.*

nis quæ immediatè formalem felicitatem efficienter attingunt: intellectus, ut id, in cujus operatione formalis felicitas posita est; & voluntas, ut à qua electio pendet mediorum, quæ ad felicitatis formalis, & ejus præcipuæ passionis, nempe amoris erga summum bonum, acquisitionem, & conservationem valent: hoc in loco de voluntate solùm dicemus, nihil de intellectu, nisi quantum ad voluntatem attinet; quia de illo ab Animasticis in Physica disputatur. videndum ergo est quomodo voluntas moveatur ad media eligenda. Cùm autem voluntas non possit ferri in incognitum, necesse est aliquod objectum voluntati proponi. Primum ergo de objecto voluntatis motivo agendum est, & de proponente objectum. tum de modo, quo voluntas movetur; postremò de regula, cui se conformare debet voluntas in operando.

PRIMA PROPOSITIO.

De objecto voluntatis motivo, & causa illud proponente.

Objectum motivum voluntatis est, quod voluntati objicitur sub ratione convenientiæ. Principium autem proponens hoc objectum, est tum intellectus, tum ipsa voluntas, tum sensus, tum Deus, Movetur ergo voluntas cum operatur ab his causis.

1. Quod voluntas non moveatur ad appetendum, nisi ei proponatur objectum sub ratione convenientiæ, docet S. *Tho.* 1. 2. q. 9. a 1. ad 2. *Sicut*, inquit, *imaginatio formæ sine æstimatione conveni.ntis, vel novivi, non movet appetitum sensitivum; ita nec apprehensio veri sine ratione boni,*

& appetibile. Innuit Arist. 3. de An.t.46. dum dicit intellectum speculativum non movere. Suadet experientia. experimur enim omnes non moveri ad appetendum aliquid, nisi illud apprehendamus ut bonum. Suadet ratio. Nam unumquodque appetitivum movetur à suo objecto ad actum appetendi: objectum autem voluntatis est Bonum: quod proponitur ab intellectu. ergo ut voluntas moveatur ad illud appetendum, debet proponi ut bonum. Quæ ratio probat etiam de appetitu sensitivo quod non movetur nisi sensibile apprehendatur ab æstimativa ut bonum. Debet autem objectum apprehendi bonum secundum eam rationem convenientiæ, quam habet respectu appetentis, alioquin non movet appetitum: quia ratio appetendi aliquid est proportio, quàm illud habet cum appetente, ut patet inductione. Porrò primum objectum, ex quo incipit primus motus voluntatis, est id, quod apprehenditur absolutè bonum, quod enim apprehenditur bonum propter aliud, non movet primò sed suppositâ appetitione alterius, ad quod ordinatur, & ex quo habet ut sit voluntati appetibile.

2. Jam intellectus est immediatè proponens voluntati objectum. (*a*) experimur enim nihil appeti à nobis, quod non cognoscatur à nobis. Appetitus autem intellectivi oculus, per quem objectum appetibile cognoscitur, est intellectus. voluntati ergo immediata objecti propositio fit ab intellectu per cognitionem objecti. Triplici autem cogni-

(*a*) *Scholastici in 2.d.25.S.Tho.1.2.q.8.a.1. Aristot.3.de Anim.t.57.*

tioni

tionis actu proponit intellectus voluntati objectum appetibile; nempe simplici apprehensione bonitatis objecti; judicio de objecto prosequendo, & appetendo; (*b*) Imperio prosequutionis, quo intellectus actu ordinat appetitum ad objectum, cum per judicium non ordinaverit, sed tantùm dixerit esse ordinandum, ordinare autem est cognoscendo referre actu, ac ducere ad objectum. Quod non fit, nisi simul appetitus suo se actu referat, ac tendat. Nam ex parte intellectus est sola relatio in actu signato, quæ est cognitio actualis ordinis, seu tendentiæ voluntatis ad objectum: ex parte autem voluntatis est ipsa actualis relatio, seu tendentia. Semper autem, cum est hæc actualis tendentia voluntatis, est simul actu cognitio intellectus, ut patet experientia. Non est tamen semper cognitio relativa, seu actu referens in actu signato appetitum ad objectum, quam cognitionem explicare solemus per verbum Fac, & est imperium formale, ac explicitum: (*c*) sed interdum est simplex apprehensio objecti convenientis, interdum judicium de prosequendo objecto sine actuali intellectus relatione in actu signato, quam diximus, ut docet experientia. Quamquam simplex apprehensio objecti non movet voluntatem ad eliciendum actum electionis, nisi præcedente judicio de objecto eligendo. electio enim supponit deliberationem, deliberatio autem concluditur per judicium, ut supra dictum est d. 1. q. 4. sed post formatum semel judicium satis est ad movendum voluntatem simplex apprehensio de ob-

(*b*) *Disp. 1. q. 4. Prop. 1. §. 4.* (*c*) *Scot. in 2. d. 6. q. 1. ad 1, 2, 3. Major q. unica ibid. Gab. q. 1. a. 3. dub. 2. Mar. in 2. d. 16. a. 1. Not. 5.*

jecto

jecto judicato. Non enim apparet ulla judicii necessitas. Quamvis autem illi duo actus intellectus simplicis apprehensionis, & judicii non sint imperium formale, ac explicitum; sunt tamen virtualiter imperium, quia consequitur ad illos actualis tendentia voluntatis non secus, ac ad imperium formale; & tendere in actu exercito ad objectum cognoscendo illud, implicitè includit actum signatum referendi cognitione voluntatem ad objectum. Differunt autem adhuc hi duo actus ab imperio formali, quod cum his non semper conjungitur tendentia voluntatis ad objectum, cum ea necessariam conjunctionem habeat cum imperio formali, ut patet experientia. Numquam enim dicimus, Fac, nisi simul velimus fieri quod præcipimus. Cum actuali autem tendentia voluntatis necessariò conjungitur aliquis ex tribus dictis actibus intellectus quod præter experientiam probatur adhuc ratione, quia cum voluntas sit appetitus intellectualis, & ex se cæca sit, non potest actu tendere in objectum, nisi simul actu ei proponatur ab intellectu objectum, in quod tendat, & à quo eius tendentia specificetur, quod infra clarius explicabimus. (*d*) Ex his intelligitur intellectum esse causam, quæ immediatè proponit voluntati obiectum motivum. Non est autem necessarium proponi voluntati obiectum per actum imperii formalis; quia experimur nos facere multos actus volitionis absque tali imperio formali, & nulla apparet ratio, quæ probet illud imperium esse necessariò requisitum ad exercitium voluntatis.

3. Voluntas tribus modis est principium sui actus. 1. Est causa efficiens respectu omnium suo-

(*d*) *S. Tho.* 1.2.q.9.a.1.

rum

rum actuum quatenus illos producit. 2. Est causa concurrens solum obiectivè ad propositionem objecti, quæ ei fit ab intellectu; quatenus intellectus considerans dispositionem voluntatis, & propensionem ad unum potius obiectum, quàm ad aliud, illud potius voluntati, quàm aliud proponit (*e*) aut considerans in voluntate intentionem alicuius finis, proponit ei proportionata media ad finem consequendum. 3. Est causa concurrens efficienter ad propositionem obiecti, quæ fit ab intellectu quatenus per actum, qui dicitur (*f*) usus, movet intellectum, ut inquirat media ad aliquem finem consequendum, quem ipsa intendit, aut inquirat alium finem, aut clarius proponat aliquod obiectum. Hoc modo voluntas per unum actum movet se ad alium actum, nempe ad eum, quem facit post obiecti propositionem factam ab intellectu, quem voluntas movit. Sed quamvis voluntas respectu secundi actus sit ipsa principium, nunquam tamen est principium primum aliquo suo actu: quia nullum simpliciter actum potest formare, nisi præcedat cognitio. Principium ergo primum motionis voluntatis, non est voluntas, sed id, quod ad formandam eam cognitionem concurrit, ad quam consequitur primus motus voluntatis.

4. (*g*) Sensus movet voluntatem indirectè, quatenus per actum, quo fertur in obiectum sensibile, est causa ut intellectus proponat illud obiectum sensibile voluntati, (quæ est appetitus universalis, quo homo fertur in omne bonum sibi, etiam partì sensitivæ) ut conveniens, seu proportionatum illi, sive homini. Proportionem autem illam

(*e*) *S. Thom. ibid. ar.* 3. (*f*) *Disp.* 1. *q.* 4. *Prop.* 1. §. 4.
(*g*) *S. Th. supra ar.* 2.

facit

facit magis apparere sensus per actum suum vitalem, qui est quædam proportio vitalis cum objecto, quæ proportio excitat intellectum ad proponendum voluntati objectum ut proportionatum. excitat autem, quia sentitur ab anima, in qua subjectatur, & à qua producitur; quæ simul est subjectum & intellectus, & intellectionis, & causa efficiens illius.

5. Deus est causa movens voluntatem tribus modis. (b) 1. Eo modo, quo dicuntur gravia, & levia moveri à generante: quia à generante habent potentiam, qua moventur ad suos motus naturales. Ita voluntas dicitur moveri à Deo, quia cum anima creata sit à solo Deo, à Deo habet potentiam, seu appetitum, quo movetur ad bonum, qui est voluntas. 2. Deus movet voluntatem, quatenus ad omnem ejus motum concurrit Deus ut causa prima. est autem necessarius talis Dei concursus ad singulos effectus, Primum, quia omnis effectus est singularis, ergo indiget causa, per quam ejus singularitas producatur: Non potest autem produci, nisi à causa quæ eminenter contineat omnes singularitates, saltem eas, quæ in ea specie, in qua est effectus, producibiles sunt, & quæ sit libera, ut se determinet ad hanc potius, quàm ad aliam singularitatem producendam. quia non potest afferri ratio cur hæc potius, quàm alia singularitas producatur, nisi libertas producentis, Non apparet autem ulla causa, quæ hæc duo præstare possit, nisi solus Deus. Deinde, omnis creatura est ens ab alio, ergo debet dari ens à se, nempe Deus, à quo una saltem ex creaturis cæperit esse, seu dependentiam habuerit quo ad existentiam. eadem autem est natura rerum, & & vis in fieri, & in facto esse. ergo illa creatura, quæ dependentiam habuit à Deo in fieri, adhuc illam

(b) S. *Thom. Sup. ar. 6.* de-

dependentiam habet à Deo in facto esse. ergo ea creatura non potest producere aliam nisi dependeat à Deo in producendo: quia modus operandi sequitur modum essendi. ergo ad omnem productionem concurrit Deus. Præterea ens creatum est essentialiter ens ab alio. ergo quando actu est, dicit essentialem ordinem actu ad id, à quo est. ergo quando actu est, necessariò ponendum est id, à quo est, ut terminus ipsius, à quo ejus transcendentalis ordo specificatur. at nullum ens creatum necessariò ponendum est, ut existat aliud ens creatum: Deus autem solus est ens necessarium. ergo quælibet creatura cum actu est, dicit ordinem dependentiæ ad Deum. ergo ad productionem cujuslibet effectus concurrit Deus. Postremo, Deus est agens intellectuale infinitæ sapientiæ, ergo agendo agit dirigendo ad finem. ergo quatenus infinitus in sapientia, cum produxit mundum, cognovit omnes effectus futuros; quatenus agens, illos direxit ad suos fines: at non apparet quomodo omnes effectus, qui fiunt in mundo, dirigi possint infallibiliter ad fines, quos Deus à principio decrevit, nisi ad productionem singulorum effectuum concurrat Deus. 3. Deus movet voluntatem proponendo ei objecta appetibilia, & bono hominis convenientia. Nam Deus iis, quæ producit, dat propensionem, & facultatem ad acquirendum bonum, quod est ipsis conveniens. ergo cum produxit hominem, dedit ei propensionem, & facultatem ad bonum ipsi ut homo est, quod est bonum morale. ea facultas est voluntas, & intellectus proponens voluntati bonum morale. At innumerabilia sunt, præsertim amor proprius, quæ perturbant intellectum, & impediunt perfectam usum rationis, & sensus trahunt illum ad objecta sensibilia; ut necessarium

cessarium sit ut plurimum intellectum errare in proponendo voluntati objectum conveniens, aut non intelligere quid proponendum sit, nisi ab alio agente juvetur. Hoc agens dicimus esse Deum, qui vel per se, vel per alia agentia proponit intellectui objecta convenientia. (i) Præterea sæpissimè multa casu sensibus objiciuntur, per quæ movetur intellectus: at nihil casu fit respectu Dei, cum ad omnem effectum concurrat Deus, ut supra dictum est. ergo illa objectorum propositio fit à Deo. Præterea sæpissimè movetur intellectus, ut experimur, sine ulla prævia sensuum, vel ipsius intellectus motione: nullum autem agens creatum extrinsecum potest intellectum, & voluntatem movere immediatè: quia creatum, aut est corporeum, aut spirituale: (k) corporeum non potest agere in spirituale, qualis est intellectus, & voluntas, nisi excitando sensum per objecta sensibilia, ut facto actu sensationis, qui subjectatur in anima, excitetur intellectus ad cognoscendum: agens autem spirituale, ut est Angelus, nihil potest in alio producere, præter motum localem, ut Metaphysici, ac Theologi docent; nihil autem est in intellectu quod motum localiter causare possit intellectionem. ergo motus illi, qui fiunt in intellectu sine ulla prævia motione, à Deo sunt.

(i) *Arist.7.Moral. Eudem c.11.* (k) *S. Tho.1.2. q.9.ar.5.*

II.

II. PROPOSITIO.

De Modo, quo voluntas movetur.

Neque objectum, neque intellectus, neque intellectio; neque sensus, neque ullum homini extrinsecum, neque ullus voluntatis actus, est causa efficiens eius motionis, qua voluntas movetur; sed sola voluntas, & Deus ut causa prima. Liberè autem suæ motionis actum voluntas producit.

Quòd objectum non concurrat efficienter ad actum volitionis, Probatur, 1. Quia sæpissimè contingit, cùm fit volitio, objectum non esse præsens, & interdum non existere. 2. Quia si qua esset necessitas concurrendi objectum efficienter in volitionem, ea sufficienter suppleri posset per actualem intellectionem objecti, quæ est vitalis repræsentatio objecti, & semper voluntati præsens, cùm fit actus volitionis. 3. Quia sæpissimè contingit objectum esse ens materiale: (*l*) at ens materiale non potest attingere efficienter effectum spirituale, qualis est volitio. (*m*) Potest tamen ens materiale influere efficienter in sensus, producendo in illis qualitates, alterationes, inclinationes,

(l) S. *Tho.* 1. 2. *q.* 9. *a.* 5.

(m) *Quòd cæli non possunt necessitare voluntatem hominis vid. defin. eccl. s. & Scripturas apud Valent. t.* 2. *d.* 2. *q.* 4. *p.* 4. *vid. apud eundem argumenta in contrarium, & solutiones.*

&

& species sensibiles, quibus positis fit sensatio, per quam excitatur intellectus ad proponendum voluntati objectum sensibile ut conveniens, aut disconveniens, ut dictum est Prop. 1. §. 4. Dices: Sensatio subjectatur in anima rationali. ergo est ens spirituale. at sensatio attingitur efficienter à specie sensibili, quæ est ens materiale ergo ens materiale potest efficienter attingere volitionem. Respon. Sensationem esse actum materialem; subjectari autem in anima rationali non ut anima rationalis est formaliter spiritualis, sed ut est eminenter sensitiva, & coexistens subjecto materiali: at volitio est ens spirituale, & subjectatur in anima rationali ut spirituali.

2. (n) Quod intellectio, ac proinde multò minus ipse intellectus, non concurrat efficienter ad actum voluntas, probatur, Quia, voluntas est essentialiter inclinatio ad omne bonum. ergo se sola potest producere inclinationem elicitam, seu actum circa quodlibet bonum. Nulla autem apparet ratio, quæ probet esse necessarium ad eum actum concurrere etiam efficienter intellectionem.

Dicet quis 1. Ad intellectionem specificandam concurrit efficienter species impressa objecti. ergo ad volitionem specificandam concurrit efficienter intellectio. 2. Ad actum formalem imperii, quod explicari solet per vocem, Fac, necessariò consequitur volitio. ergo ad eam volitionem concurrit efficienter actus imperii.

(n) S. Tho. q. 22. de verit. art. 12. Caprcol. in 2. d. 25. q. unica a. 3. in Resp. 2. ad 1. Scot. contra 1. conclus. Valent. t. 2. d. 2. q. 4. p. 1.

Ad

Ad 1. Resp. Speciem intelligibilem impressam non requiri necessariò ad specificandam intellectionem, nam multæ intellectiones fiunt sine propria specie intelligibili, ut sunt eæ, quæ fiunt circa objectum nunquam alias intellectum. ad has enim specificandas satis sunt intellectiones factæ circa alia objecta, ex quorum cognitione arguitur aliud: interdum satis est actus imaginationis, ut docent Animastici. Esto autem cum adest species, concurrat efficienter ad intellectionem, ut videtur suadere major facilitas, quam experimur in intelligendo objectum, cujus speciem habemus: non tamen sequitur ex hoc, etiam ad volitionem concurrere efficienter intellectionem, quia species habet magnam convenientiam cum intellectione, quippe cum sit semen objecti, cujus representatio vitalis est intellectio: at intellectio non habet convenientiam cum volitione, quia volitio non est objecti repræsentatio, sed tendentia quædam ad illud, & unio cum illo, seu mera proportio vitalis ut potentiæ cum actu, sine ulla objecti repræsentatione. Ad intrinsecè ergo specificandam volitionem concurrit sola voluntas, quæ sufficienter determinatur ad talem speciem volitionem producendam ex intellectione talis objecti, quæ subjectatur in eadem radice, à qua procedit volitio, nempe in anima rationali. Sufficiens autem est voluntas ad omnes diversas species volitiones naturales producendas, quæ sunt elicitæ inclinationes ad objecta: quia ipsa, seu anima rationalis, est ex natura sua naturalis inclinatio ad omne bonum. Intellectio solum requiritur ad proponendum voluntati objectum: quia voluntas non potest ferri incognitum. Quare intellectio solum se habet ut conditio, sine qua non fieret volitio: ut id, quod approximat agenti subjectum,

jectum, circa quod agat, se habet ut conditio, sine qua non fieret actio.

Ad 2. R. Ex necessaria positione volitionis ad positionem imperii, non rectè colligi concursum causæ efficientis in imperio respectu volitionis. Cum enim voluntas in agendo sit libera, ut infra dicetur, non potest volitio, quæ est actio voluntatis aliunde necessitatem habere, nisi ab ipsa voluntate. Habet autem necessitatem suppositionis, id est, Posito quod à voluntate producitur, necessariò est pro eo instanti, quo producitur.(o) Dicendum ergo etiam ipsum imperium, ad cujus positionem sequitur necessariò positio volitionis, ut patet experientia, pendere ab ipsa voluntate, quatenus in eo instanti, quo anima se determinat ad producendum actum volitionis per voluntatem, naturali quadam consequutione producit actum imperii per intellectum: quia est quædam naturalis connexio voluntatis, & intellectus, ut simul cum actu voluntatis semper fiat aliqua intellectio, per cujus objectum specificetur actus voluntatis, & per quam voluntas videat quod apprehendit.

3. Quod neque sensus, neque aliquid homini extrinsecum, influat efficienter in volitionem, iisdem argumentis probari potest, quibus de objecti, & intellectionis influxu probatum est: ex quibus intelligi poterit quàm falsa fuerit opinio eorum, qui dixerunt cælum in voluntatis actum efficientiam habere.

4. Quod una volitio non influat efficienter in productionem alterius volitionis suadetur ex eo,

(o) *Disp. 1. q. 4. prop. 1. ii 4.*

quod

quòd nulla apparet ratio, quæ illud sufficienter probet.

5. De influxu causæ primæ probatum est supra Prop. 1. §. 5. Sed contra hanc Dei influxum objici potest, 1. Quod eo posito tollitur voluntatis libertas in operando. 2. Quod cum actiones sunt moraliter malæ, earum malitia tribueretur non solùm homini, sed etiam Deo qui ad illas concurrit: atq; ita Deus esset causa peccati.

Ad 1. R. Ex Dei concursu ad actum voluntatis non tolli à voluntate libertatem, quia Deus ita concurrit, ut non præveniat voluntatem suo influxu, sed comitetur, eamque voluntatem operari coadjuvet, quæ se sola nihil agere potest.

Ad 2. R. In malitia morali includi rationem voluntarii, ut de Moralitate dictum est d. 1. quæst. 3. Ei ergo malitia moralis alicujus actionis tribuendæ est ut agenti, respectu cujus est voluntaria. est autem malitia moralis privatio, sive defectus quidam rectitudinis. Defectus autem non tribuuntur ut agenti, nisi ei, qui potest, & debet eum impedire, & non impedit. Deus autem non debet impedire defectus morales voluntatis humanæ non concurrendo ad ejus actus: imò potiùs secundùm leges ordinarias debet ut causa prima concurrere quoties voluntas vult agere: quia causæ primæ concursus est naturaliter debitus omni agenti naturali; alioquin tolleretur ab agentibus naturalis eorum agendi modus, ac proinde à voluntate modus agendi liber, quoties voluntati libuerit. Deo ergo influenti in actiones malas non tribuitur earum malitia neque ut Privatio est, neque ut Positio in subjecto rationali entitatis privatæ rectitudine debita: quia neq; privatio illa, neq; positio entitatis ut privatæ rectitudine, est respectu Dei volunta-

ria; sed tantùm entitas, & positio actionis sine ordine ad privationem: quia ad talem entitatem vult concurrere Deus ut causa prima est, cujus concursus est necessarius, omni agenti creato.

6. Quod voluntas in hac vita sit libera quoad exercitium cujuscunque sui actus circa quodcunq; objectum. Probatur 1. Nostra experientia. Experimur enim proposito quocunque objecto posse nos abstinere ab eliciendo actum circa illud. 2. Ex communi omnium sensu. Actus enim hominum voluntarii, cùm sunt mali, omnium opinione putantur vituperabiles; digni etiam pœna, vel præmio. Laus autem, & vituperatio, pœna, & præmium in libertate agentis fundantur, ut diximus d. 1. q. 3. Prop. ultima. 3. Probatur à priori ex natura ipsius voluntatis. est enim voluntas appetitus quidam universalis, habens pro objecto quodcunque bonum, habens proponentem objectum potentiam etiam uniuersalem, nempe intellectualem, cujus obiectum est omne ens. ergo respectu nullius objecti, quod ei ab intellectu proponatur, ita est determinata, ut non possit suspendere actum circa illud: cum possit etiam circa alia obiecta versari, & habeat in promptu intellectum, quo potest uti ad propositionem aliorum objectorum. ergo non necessitatur ad actum eliciendum, nisi circa obiectum quod ei clarè proponatur ab intellectu ut habens omnem rationem boni: quia tale obiectum sufficienter voluntatem determinat, cùm contineat totum illud bonum, ad quod essentialiter appetitus rationalis ordinatur: quod solùm beatis accidit, qui Deum vident, ut est in se, ac proinde necessitantur ad eum amandum, quia ille omnem voluntatis capacitatem adæquat, nullaque proponi potest voluntati ratio boni, quæ in Deo non sit modo perfectissimo. Alia, quæ ad

hanc

hunc locum spectant, ut de libertate voluntatis quo ad specificationem actuum, &c. vid. apud Physicos, ubi agunt de causa libera. Nunc illud advertendum est, voluntatem non esse liberam circa objectum sibi conveniens præsertim ad felicitatem acquirendam, ita ut possit circa illud elicere actum fugæ; nisi viderit in illo aliquam rationem mali sive realis, sive apparentis: ita odio interdum habetur vita, cùm ea est ærumnosa, & interdum fugitur beatitudo ob labores in ea comparanda. (p) Advertendum etiam illud, Posse interdum ex vehementi motu sensuum opprimi judicium rationis, aut non relinqui liberum, id est, indifferentem, & habilem ad ea opportunè considerandà, quæ ad rem spectant: & tunc, quia intellectus nihil aliud proponit, nec proponere potest, quàm quod est in potentiis sensitivis, voluntas non habet usum libertatis; & cùm non possit uti intellectu ad videndum an in objecto sensibili sit ulla ratio mali, sed solam boni sensibilis rationem habeat objectam, necessariò quo ad specificationem eliciet actum prosecutionis, & interdum etiam quo ad exercitium. Dicitur autem in Propositione, quod voluntas liberè suum actum producit, nempe cùm in hac vita est in statu sibi connaturali, id est, cum judicio rationis.

III. PROPOSITIO.

De Regula voluntatis.

Regula, cui se voluntas conformare debet in operando, triplex est, Ratio recta, voluntas Dei, Lex humana.

(p) S.Tho.1.2.q.10.ar.3.Valen.t.2.d.2.q.5 p.3.

1. QUod Ratio recta sit voluntatis regula, 1. Docet Arist. 2. eth. cap. 6. cùm ait virtutem esse positam in mediocritate, quæ à ratione præfinita sit. 2. Probatur ea ratione, Quod voluntas est appetitus intellectivus, tribuens homini ad apprehendendum bonum homini ut homo est. est autem voluntas potentia cœca; ergo indiget potentia sibi proportionata, nempe intellectiva, per quam cognoscat bonum, quod est ipsi apprehendendum. ea est intellectus; cui vis naturalis inest, ut patet experientia, ad cognoscendum bonum homini ut homo est. ea vis, ut hoc humanum bonum apprehendit, ratio recta appellatur. Debet ergo voluntas ad rectè agendum conformare se cum recta ratione.

Dices: Quid si ratio erret, & proponat objectum aliquod ut malum, quod verè bonum sit: an voluntas debet se rationi erranti conformare? (q) Dicendum, Debere. Quia voluntas contra naturalem suam inclinationem, seu legem facit, prosequendo id, quod videt esse malum morale. Oculus autem, quo id videt, est Ratio, ergo fugere debet id, quod Ratio dicit esse malum, etiam si verè malum non sit. Imò etiam fugere debet id, de quo ratio dubitat malum ne sit, donec dubium deponatur: quia qui dubium objectum prosequitur, censetur prosequi malum, prosequitur enim illud sive bonum sit, sive malum. (r) Potest autem dubium deponi sequendo opinionem probabilem, etiam si opposita sit probabilior. Quod si ratio erret, proponendo aliquid

(q) S. *Thom.* 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. 6. (r) *Valent.* 1. 2. *d.* 2. *q.* 14. *p.* 4. *& alii apud illum.*

ut

ut bonum, quod verè malum est; si error oritur ex ignorantia culpabili, seu voluntaria, non debet voluntas se conformare cum ratione ita errante; quia hoc modo malum prosequeretur, licèt indirectè. ergo error deponendus. (*s*) Si verò error oritur ex ignorantia antecedente, seu involuntaria, seu invincibili, bene voluntas facit conformando se cum ratione errante, ut ex dictis colligitur. Porro rationis rectæ regula semper est à voluntate spectanda, etiam in usu aliarum regularum: quia cæteræ regulæ per rationem voluntati manifestantur.

2. (*t*) Quòd voluntas Dei sit Regula voluntatis humanæ, Probatur 1. Idem objectum est, circa quod versantur voluntas divina, & humana, nempe summum bonum: voluntas autem divina est rectissima, & infinitè perfecta, habens intellectum infinitè perfectum, & non potentem errare in objecto proponendo. ergo voluntas humana conformare se debet in operando cum voluntate divina ut cum primo exemplari, & mensura cæterarum voluntatum. 2. Omnis effectus, cùm sit participatio efficientis, à quo est, sequitur naturam sui efficientis: voluntas, & ratio humana, earumque operationes sunt effectus Rationis, & voluntatis divinæ: ergo voluntas, & ratio humana in suis operationibus sequi debent voluntatem, & rationem divinam, eis se conformando. 3. Servi, ut servus est, regula in operando est voluntas sui domini: voluntas humana secundùm essentiam est serva voluntati divinæ, quippe à qua pendet in esse, & operari, & ad quam ordinatur ut ad ultimũ finem. ergo voluntatis humanæ regula est volun-

(*s*) *sup. Disp.* 1. *q.* 3. *propos.* 1. §. 8. (*t*) *S. Th.* 1. 2. *q.* 19. *ar.* 1. 4. & 9.

tas Dei. 4. Partis, ut pars est, finis est non solùm bonum proprium, sed simul etiam bonum sui totius: voluntas humana, ut & quælibet creatura, habet se ut pars tum respectu voluntatis divinæ, ac Dei, qui est omne bonum, & causa universalis omnium; tum respectu universalitatis, quam regit Deus sua voluntate. ergo voluntatis humanæ finis, cùm operatur, est simul cum bono proprio voluntas Dei, quæ summum, ac universale bonum est. Finis autem est regula respectu eorum, quæ ordinantur ad ipsum. Regula igitur humanæ voluntatis est voluntas Dei.

Jam quatuor modis secundùm quatuor causarum genera potest divina voluntas esse Regula voluntatis humanæ, 1. Secundùm finem. spectat autem voluntas divina in omni actione ultimum finem, (u) hoc modo conformare se debet voluntas humana cum divina, ut sit bona. Debet enim in omni actione tendere in ultimum finem, ac summum bonum qui est ipse Deus. Fieri autem hoc potest vel explicitè cogitando de ultimo fine, & dirigendo actionem ad illum, vel implicitè, operando actionem bonam, etiam si illa non dirigatur in ultimum finem: satis enim est, si actio ex natura sua, nempe ut bona est, ordinetur ad illum; quia ut bona participatio quædam illius est, & particulare bonum sub universali contentum, quod est Bonitas divina.

2. Voluntas divina potest esse Regula voluntatis humanæ secundùm rationem causæ efficientis, quatenus præcipiendo, vel consulendo movet humanã voluntatem. Divinæ voluntati præcipienti tene-

(u) *S. Thom. supra. a. 9. & Theologi in 1. d. ult.*

mur

mur noſtram voluntatem conformare. Debemus enim velle quidquid Deus jubet nos velle, voluntati autem divinæ conſulenti, licèt conformari non teneamur: perficimur tamen maximè, nos conformando. Porro Quid Deus velit nos velle, intelligimus tum lumine rationis, tum Revelatione, ad quam reducimus etiam leges humanas rectas. omnia enim hæc à Deo ſunt.

3. Voluntas divina poteſt eſſe Regula in genere cauſæ formalis, quemadmodum ratio formalis operationum ipſius, eſt charitas; quia quidquid Deus vult, ex charitate vult: ita charitas ſit principium formale noſtræ voluntatis; ut quicquid volumus, ex charitate velimus. Atque hic operandi modus eſt perfectiſſimus; ſed non ſemper neceſſarius, ut Theologi docent & ſuadet ratio. valde enim paucæ hominum actiones eſſent moraliter bonæ, ſi hic operandi modus requireretur ad actionum bonitatem. Nec apparet ulla ratio, quæ neceſſitatem ſuadeat. (x) Satis enim videtur ad formalem rationẽ bonitatis actionum, eas informari ſive explicitè, ſive implicitè, ſine ultimo, ut in primo modo explicatum eſt. Finis enim habet rationem principii formalis, quatenus habet rationem objecti, à quo ſpeciem ſumunt actiones, ut diximus d. 1. q. 5.

4. Poteſt voluntas divina eſſe Regula ſecundùm cauſam materialem, id eſt, ſecundùm bona particularia, quæ vult; quæ ut particularia ſunt, ſe habent ut materia reſpectu finis ultimi, quæ habet rationem voliti formalis. volita materialia reſpectu voluntatis divinæ ſunt omnes effectus qui fiunt in mundo, quia omnes effectus à Divina voluntate pendent ad eos concurrente, ut ſuprà dictum eſt Prop. 2. (y) Non tenemur conformare nos divinæ voluntati ſecundũ

(x) S. *Thom. ſup. a.* 10. (y) S. *Thom. ſup.*

volita materialia: quia non tenemur velle quæcunque Deus vult, sed quæ Deus vult nos velle. Potest n. accidere, ut aliquid à Deo volitum, sit contrarium legi traditæ nobis ab ipso Deo, ac proinde à nobis fugiendum, ut est omne materiale peccati; quod Deus vult ob bonum commune: sed simul vult à nobis non fieri. (a) Potest etiam accidere, ut aliquid sit à Deo volitum, nec prohibitum nobis, sed tamen nostro bono naturali contrarium, ut amissio pecuniæ, filiorum, valetudinis, & similium, quæ possumus nolle, quia nolendo conformamur divinæ voluntati, à qua habemus propensionem ad bonum nostrum. Non est ergo necessarium conformari divinæ voluntati secundùm volitum materiale, modò adsit conformatio secundùm volitum formale seu ultimum finem. atque hæc est praxis hominum proborum, & non apparet ulla ratio sufficiens ad suadendum contrarium. quamquam excepto materiali peccati, perfectio est maxima voluntatis humanæ conformari cum divina etiam in volito materiali. Nunc de 3. Reg. dicamus, quæ est lex humana.

3. Lex, ut ex (b) S. Thomæ, & (c) aliorum Doctorũ doctrina colligitur, est Rectum quoddam rationis practicæ decretum, ab eo, qui curam communitatis gerit, sufficienter sancitum, & constitutum, ut ex ejus vi debeat necessariò modus aliquis, sive in re, sive in actione, propter commune bonum, adhiberi. Cùm autem hæc definitio legi tum æternæ, quæ est in Dei intellectu, tum naturali, tum humanæ conveniat; lex humana, de qua nunc agi-

(a) *Durand. in 1. dist. 47. q. 2.* (n) *Est contra Okamum, Ariminensem, Gabriel. lem. apud Valent. t. 2. d. 2. q. 14. p. 8.* (b) *S. Tho. 1. 2. q. 90.* (c) *Apud Valen. t. 2. d. 7. q. 1.*

mus;

mus, ita poteſt definiri: (*d*) Rectum decretum rationis, convenienter legi naturali, & æternæ, per ratiocinationem aliquam probabilem ab habente publicam authoritatem ſancitum, præſcribens aliquid, quod ſit à ſubditis neceſſariò ſervandum. Quod lex ita definita ſit Regula voluntatis humanæ, Probatur 1. (*e*) Singuli hominum ſunt ens limitatum, & imperfectum, ut patet, non habentes omnem perfectionem, neq; ſuæ ſpeciei. ſinguli ergo exigunt ſocietatem aliorum; ac proinde ad communitatem ordinantur tamquam partes ad totum, ergo voluntas ſingulorum ſimul cum bono proprio debet quærere bonum totius. Ratio autem dirigens voluntates ſingulorum ad bonum totius, eſt in primis ratio ejus, cujus eſt totum, ſeu communitatem regere. ergo voluntatis ſingulorum Regula eſt ratio gubernantis communitatem, hoc eſt, lex. 2. Lex humana derivatur (*e*) à lege æterna, & (*g*) à lege naturali, ut in definitione legis humanæ dictũ eſt: lex autem æterna, & lex naturalis eſt Regula voluntatis humanæ, ut ſuprà probatum eſt §. 1. & 2. ergo etiam lex humana, quæ ab illis derivatur, eſt regula voluntatis humanæ. 3. (*h*) Voluntatis humanæ Regula eſt id, quod Deus vult nos velle, vel nolle, ut ſuprà dictum eſt §. 2. vult autem Deus nos velle, vel nolle quidquid ratio dictat volendum, vel fugiendum: dictat autem ratio volendum, & fugiendum quod leges rectæ volendum,

(d) *Ex S. Iſid. l. 5. etymol. c. 4. S. Th. 1. 2. q. 91. a. 3. & q 94. a. 2.* (e) *S. Tho. 1. 2. q 90. a. 2. & q. 95. ar. 1.* (f) *S. Th. ſup. q. 93. a. 3.* (g) *S. Th. ibi. q. 95. a. 2.* (h) *Valent. t. 2. d. 7. q. 5. p. 6. quæſtiunc. 1.*

& fugiendum proponunt, ut ex communi hominum sensu, & duabus superioribus, (i) ac aliis rationibus manifestum est. ergo voluntatis humanæ sunt leges justæ. Quæ porro ad leges humanas attinent, legi possunt apud S. Tho. 1. 2. q. 95. 96. 97. & alios Doctores.

(i) *Vid. Valent. sup. p. 3. 4. 6.*

DISPU

DISPUTATIO TERTIA.

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

QUoniam de hominis felicitate disputatum est, qui est ultimus finis: agendum nunc de mediis ad illam. Media potissima sunt habitus boni. Hi enim aut immediatè ad ipsam essentialem felicitatem, & ad ejus præcipuam passionem inclinant, nempe ad contemplationem, & amorem summi boni; aut ad felicitatem activam, quæ medii rationem habet ad felicitatem essentialem. Actio enim vel circa ipsum agentem versatur, ejus passiones moderando; vel circa alios, humanæ societatis jura servando. Passionum moderatio contemplationem, ac amorem summi boni conservat, & auget; idémque facit humana societas, cùm est qualis esse debet, ut ex iis intelligitur, quæ de felicitate dicta sunt. Actio ergo, sive felicitas activa, ac proinde habitus, qui ad eam inclinant, media quædam sunt ad felicitatem essentialem. (a) Habitus autem ad actionem inclinantes, virtutes morales sunt. ergo de virtutibus moralibus disputandum est, primum in communi, tum de singulis, nempe de Justitia, Fortitudine, Temperantia.

(a) *d. 1. q. 1. def. 4.*

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

De Virtutibus Moralibus in communi.

DIcendum de Ratione formali, objecto, subjecto, efficiente, generibus, proprietatibus virtutum moralium.

PRIMA PROPOSITIO.

De Ratione formali virtutum moralium.

Virtus moralis, est habitus bene afficiens potentiam ad operandum actionem rectam.

1. H*Abitus.*] Habitum sumimus pro qualitate durabili, disponente potentiam ad operationem; quem definivimus, & dari probavimus supra d. 1. q. 1. def. 4. Quod autem virtus moralis sit habitus, docet Arist. 2. eth. c. 5. & probatur ratione. Nam ex frequentatis actibus moraliter bonis relinquitur, ut patet experientia, facilitas in potentia ad similes actus producendos. quæ facilitas, cùm verè sit in nobis, & remaneat transactis actibus, aliquam formam realem, & permanentem requirit, quæ in nobis sit, cùm antea non esset, ea forma est habitus. Definitur enim, Habitus, Forma, quæ confert facilitatem ad operandum. est autem habitus moralis bonus, quia productus est ex actibus moralibus bonis. Habitus autem bonus, virtus est. virtus enim neque est potentia, neque actus, ergo habitus. non enim apparet quid aliud esse possit. (c) Non est potentia; tum quia potentias ex natura habemus, virtute

(c) *Arist. 2. eth. 6. 59.*

autem,

autem prædicti efficimur per actus: tum quia ex virtute dicimur boni, ac landamur, non ex potentiis. Non actus, tum quia ex solis actibus non dicimur boni, dicimur autem ex virtute: tum quia actus non perseverant, virtute autem prædicti dicuntur etiam dormientes.

2. *Bene afficiens potentiam.*) (*d*) Per has particulas distinguitur virtus ab aliis habitibus, qui vel mali sunt, nempe vitia; vel certè ex sua natura ejusmodi, ut possint potentiam inclinare ad actum non rectum, ut est habitus opinionis, qui potest habere assensum & verum, & falsum. (*e*) Videtur autem virtus esse talis naturæ, ut non possit inclinare ad actum neque materialiter malum, ut contingit cum actus est malus ex aliqua circumstantia. Suadetur autem hoc 1. Quia causæ naturales producunt suos effectus perfectos non solum quo ad rationem specificam, sed etiam quo ad individualem. ergo & virtutes producent actus bonos etiam quo ad rationem individualem, quæ sumitur ex omnibus circumstantiis. si quid ergo mali insit in actu, id non ex virtute, sed ex potentia procedit. 2. Quia actus malus ex aliqua circumstantia, nulla ex parte est moraliter bonus, ergo nulla ex parte potest produci ex virtute, quæ est habitus bonus.

Sed contra hanc doctrinam objici possunt duo. 1. Quod Bonitatis moralis in actibus, & habitibus est denominatio extrinseca, seu connotatio appetitus agentis cum ratione, ut dictum est d. 1. q. 3.

(*d*) S. Tho. 1. 1. q. 53. a. 4. (*e*) S. Th. ibi. ad 5.

ergo

ergo habitus virtutis moralis quo ad entitatem physicam neque bonus, neque malus moraliter est. ergo potest influere in actum bonum, & malum. 2. Quod, ut docet experientia, habitus abstinentiæ acquisitus cum conscientia erronea, facilitatem affert ad abstinendum juxta regulas Prudentiæ. ergo ex se inclinat & ad actum, qui fit cum prudentia, qui proinde bonus est; & ad actum factum imprudenter, ac proinde malum.

Ad 1. Resp. Actus & habitus morales, præter illam connotationem, & denominationem extrinsecam ex qua habetur esse morale, intrinsecè secundum entitatem physicam specificari ab objectis, quæ conformitatem, vel difformitatem habent cum ratione. secundùm hanc physicam entitatem dicimus virtutem non posse inclinare ad actum malum.

Ad 2. Resp. Facilitatem illam, quæ sentitur in abstinendo prudenter, non provenire ab habitu acquisito cum conscientia erronea; sed partim ab habitu quodam producto in appetitu sensitivo, præter habitum, qui est in voluntate, de quo infra; partim ex remotione habitus, qui est abstinentiæ contrarius. qui removeri potest etiam ab habitu acquisito per conscientiam erroneam.

3. *Ad operandum actionem rectam.*) Actionem hic sumimus ut supra d. 1. q. 4. & d. 2 q. 2. Prop. 4. pro operatione, quæ pendet ab appetitu rationali agente cum advertentia rationis circa operabilia spectantia ad hominem, ut homo est. Rectitudo autem actionis, seu operationis ut pendentis ab appetitu ita cum ratione agente, est rectitudo moralis, quam explicavimus supra d. 1. q. 3. Jam per has particulas (Actionem rectam) distinguuntur virtutes morales ab intellectualibus. Intellectuales virtutes sunt habitus intellectus, ut Scientia, Sapientia, Ars;

qui

qui inclinant quidem ad operationem rectam, sed non versantem circa operabilia, aut non pendentem ab appetitu rationali, aut non spectantem bonum hominis ut homo est, ac proinde non habentem rectitudinem moralem, sed naturalem. de his habitibus diximus supra d. 1. q. 4. prop. 1. Distinguuntur etiam per has particulas virtutes morales à charitate, quæ versatur immediatè circa summum bonum, quod non est bonum operabile, quale est objectum virtutum moralium.

II. PROPOSITIO.

De objecto virtutum moralium.

Virtutum moralium objectum, est actio recta. Recta autem actio, aut passio est, aut operatio. utraque bonum quoddam est ipsius operantis: sed rectæ passionis objectum est, bonum operantis; objectum autem operationis est, bonum alterius. utrumque autem bonum medii cujusdam rationem habet inter defectum, & excessum. Habet & rationem ardui.

1. QUomodo virtutum moralium objectum sit Actio recta dictum est supra prop. 1. §. 3. ut autem melius intelligantur reliqua, quæ in Propositione dicuntur, sciendum est, Animam rationalem cum sit una, formaliter spiritualis, ac intellectiva, continere eminenter animam & vegetativam, & sensitivam. efficit autem harum animarum operationes, ut patet experientia. Non enim solum intelligit, ac universalia percipit, & spiritualia, eaque prosequitur appetitu; sed nutritionem etiam & augmentationem operatur, ut vegetativa; videt, audit, imagi-

imaginatur, & alia facit opera, quæ animæ sensitivæ sunt propria, & reperiuntur in bestiis, quibus oportunis objecta sensibilia, aut cognoscit, aut prosequitur, aut fugit. Ad has autem operationes tam varias efficiendas habet anima rationalis potentias suas; sive eæ distinctæ sint ab anima à parte rei, sive tantùm ratione: habet etiam organa, seu instrumenta corporalia pro vegetativis, & sensitivis actibus exequendis, ut oculos ad videndum, aures ad audiendum, &c. Singula autem organa habent sua accidentia, quibus anima juvatur ad actus exercendos. Porrò actus vegetativæ animæ proprii, quamvis sint immanentes, quia secundùm suam naturam in eodem subjecto recipiuntur, à quo producuntur, ut est Nutritio: non sunt tamen pura accidentia, sed habent adjunctam substantiam, qua aliti substantia sive reparatur, sive augetur. actus autem intellectivæ, ac sensitivæ animæ proprii accidentia pura sunt, ut est intellectio, volitio, imaginatio, visio: suntque operationes immanentes, quæ in eadem potentia recipiuntur, à qua producuntur. Jam in unaquaque anima vis illa, quæ in anima prosequitur objectum sibi conveniens, & repellit à se malum, Appetitus appellatur. Anima ergo intellectiva, quæ eminenter est vegetativa, & sensitiva, triplicem habet appetitum, vegetativum, sensitivum, intellectivum, pro triplici rerum genere, quas contingit, homini bonas, vel malas esse, nempe vegetabilium, sensibilium, intelligibilium. Appetitus vegetativus operatur sine ulla prævia objecti cognitione. ante opus autem appetitus sensitivi sensitiva cognitio præit, & ante opus appetitus intellectivi intellectio. Quid autem est appetitus sensitivus? (e) Po-

(e) S. Tho. 1. p. q. 80. ar. 1.

tentia

tentia, per quam animal appetere potest ea, quæ apprehendit, non solum ea, ad quæ inclinatur ex forma naturali. ejus potentiæ sedes est Cor. experimur enim nos in corde sentire amorem, iram, timorem, & reliquos actus appetitus sensitivi: & alterationes, quæ ex his actibus procedunt, maximè sunt in corde, & è corde procedunt. Quod si animæ potentiæ non distinguuntur ab anima: dicendum videtur appetitum sensitivum esse potentiam compositam, cujus altera pars sit idem cum anima, altera idem cum qualitate aliqua, quæ subjectatur in materia. Si verò potentiæ distinctæ sunt ab anima: (*f*) dicendum appetitum sensitivum esse qualitatem, quæ subjectatur in conjuncto, non in anima sola. (*g*) In eo enim subjecto est potentia vitalis, in quo recipitur operatio: Vitalis autem operatio cum sit actus immanens, recipitur in eo subjecto, à quo producitur. Ad actus autem appetitus sensitivi videntur efficienter concurrere, non solum anima, sed etiam accidentia, quæ subjectantur in corde; ut calor ad iram, quia ad remissionem eorum accidentium remittuntur actus appetitionis, & ad intentionem intenduntur. A quo autem excitatur appetitus sensitivus, ad appetitionem formandam? In brutis à sola cognitione sensitiva imaginationis: in hominibus autem non solum à cognitione sensitivâ, sed interdum etiam à cognitione intellectiva, etiam ea, quæ versatur circa objecta spiritualia. quamvis enim appetitus sensitivus non possit ut sic versari circa objecta spiritualia

---

(*f*) S. *Tho.* 1. *p. q.* 77. *ar.* 5. (*g*) *Vid. inf.* §. 15.

potest

potest tamen circa illa versari, si ea proponantur ab imaginatione ad modum materialium. solent autem ad hunc modum proponi per actum imaginationis,qui simul fit cum actu intellectionis,semper enim dum sumus in corpore, simul cum actu intellectionis fit actus imaginationis. Accidit ergo ut ad cognitionem intellectivam non solum consequatur appetitio rationalis,quæ fit ab appetitu rationali, qui est in anima quatenus movetur ad appetendum prævia cognitione rationali, & quatenus libera est; sed etiam appetitio sensitiva,quæ est actus appetitus sensitivi,qui est in corde,& in ipsa anima quatenus movetur ad appetendum prævia cognitione sensitiva & necessario. Contingit autem, cum fiunt actus appetitus sensitivi, & interdum etiam cum fiunt actus appetitus intellectivi, ut dictum est, fieri simul mutationem aliquam in corpore præsertim in corde; qua mutatione perturbatur naturalis status corporis: ideo ipsa perturbationis, & Passionis nomine appellata est (g) Pati.n. propriissime dicitur id, quod aliquid recipit cum deperditione alicujus sibi convenientis) idemque nomen tributum est causæ, à qua ea mutatio procedit, nempe motui appetitus. Cum autem mutatio corporis semper consequatur ad motum appetitus sensitivi, ad motum autem appetitus intellectivi non semper,nec immediatè non concurrente motu appetitus sensitivi: ideo soli motus appetitus sensitivi Passiones appellantur. Motus autem appetitus intellectivi nomen retinent commune omni animæ motui, nempe operationis. utrique autem motus tum passiones, tum operationes,quæ versantur circa objecta operabilia,

(g) *S.Tho.1.2.q.22.ar.1.*

si fiant cum advertentia rationis, seu si procedant ab appetitu cum ratione agente, Actiones dicuntur. Hæ Actiones, cum rectæ sunt, objecta sunt virtutum moralium, ad has enim efficiendas inclinant virtutes morales, ut in 1. Prop. dictum est. Porrò omnis operatio, cum recta est, perfectio quædam est operantis. rectè igitur in propositione dicitur tum passionem, tum operationem rectam, bonum quoddam esse ipsius operantis. Sed antequam ad reliquas Propositionis particulas explicandas veniamus, recensenda videtur hoc in loco, & explicanda passionum, & operationum genera.

Passionum Divisio.

2. Passionum duo sunt prima genera, Prosequutio, & Fuga, pro duplici primo genere objectorum, circa quæ appetitus versatur, nempe Bonum, & Malum ei contrarium. Quia verò tum bonum, tum malum duobus modis se habere possunt respectu appetitus, nempe vel absolutè secundum rationem Boni, & mali, vel secundum rationem boni, & Mali arduí, hoc est, difficilè prosequibilis, aut vitabilis ab appetitu; ideo secundò dividuntur Passiones in quatuor genera subalterna, nempe in Prosequutionem concupiscibilem circa bonum absolutè sumptum, Fugam huic prosequutioni contrariam circa malum absolutè, Prosequutionem irascibilem circa bonum arduum, Fugam irascibilem circa malum arduum. Concupiscibilem autem, & irascibilem passionem vocamus, quia ad appetitum concupiscibilem, aut irascibilem spectat, & ab eo promanat. Appetitus autem sensitivus dicitur concupiscibilis ut versatur circa bonum, vel malum absolutè; irascibilis, ut versatur circa bonum, vel malum arduum, id est, non absolutè

absolutè bonum, vel malum, sed bonum connotans aliquid impediens ejus consecutionem; Malum connotans aliquid inducens illud. videtur enim esse idem appetitus, qui à parte rei & irascibilis est & concupiscibilis, distinctus tantum ratione: non enim apparet ulla ratio, quæ majorem distinctionem suadeat. Nomina autem concupiscibilis, & irascibilis à duabus præcipuis passionibus sumpta sunt, nempe concupiscentia, & ira.

Jam ea quatuor passionum genera subalterna dividuntur in species suas. Prosequutio concupiscibilis, seu circa bonum absolutè sumptum, tres habet species, Amorem, Concupiscentiam, Delectationem, prout prosequitur bonum absolutum vel absolutè, vel absens, vel præsens. His tribus speciebus tres fugæ opponuntur, Odium, Abominatio, Tristitia. Quòd autem sit illud triplex Prosequutionis concupiscibilis genus, probatur, tum ipsa experientia, tum ea ratione, (*b*) Quod ut se habet appetitus naturalis inclinatione, seu potentia naturali ad objectum sibi conveniens: ita se habet appetitus sensitivus inclinatione elicita ad bonum suum. In appetitu autem naturali sunt tria, nempè ipsa potentia, quæ est inclinatio quædam ad objectum; motus localis ad objectum, cum illud abest; quies in objecto possesso. ita in appetitu sensitivo sunt tres actus elicitì; 1. Amor, qui est inclinatio elicita. 2. Desiderium, qui est quidam motus. 3. Delectatio, quæ est quies elicita.

Tertium genus subalternum, quod est Prosequu-

(*b*) *S.Th.1.2.q.23.ar.4.*

tio

tio irascibilis, quæ versatur circa bonum arduum, ac difficile ad obtinendum; habet tres species, Spem, Audaciam, Desperationem. Nam bonum arduum vel est præsens, vel absens; absens autem vel putatur possibile, ut obtineatur, vel impossibile. Circa præsens nullus est necessarius actus appetitus irascibilis, sed versatur circa illud concupiscibilis actu delectationis: eodem enim modo se habet bonum cum est præsens, sive facile, sive difficile fuerit ad obtinendum. Circa bonum arduum absens, seu nondum obtentum, sed possibile, versatur Spes, & Audacia. Spes respicit illud ut finem, ac terminum. Audacia, contempto malo, quod imminet, progreditur ad media, quæ valent ad consecutionem boni difficilis. Circa bonum impossibile, est desperatio. In hujus actus objecto duo sunt, Bonum, & Impossibilitas illud obtinendi: ex quibus Impossibilitas, quæ malum quoddam est, videtur esse dè ratione formali. Quare hic actus videtur esse potius fuga quædam, quam prosequutio, ac proinde spectare ad quartum genus. spectat autem ad hoc tertium secundùm rationem materialem.

Quartum genus, quod est Fuga irascibilis, cujus objectum est Malum arduum, duas habet species, Iram, & Timorem. Nam malum arduum, seu difficile ad evitandum, vel est præsens, & ut sic excitat Tristitiam, quæ spectat ad secundum genus, nempe ad Fugam concupiscibilem: vel est absens; & Timor existit, audaciæ contrarius. excitatur etiam à malo arduo appetitus vindictæ, id est, motus ad vindicandum malum jam acceptum, vicissim rependendo aliud malum, qui motus dicitur Ira. spectat autem ad quartum genus secundùm rationem materialem, quæ est malum, quod rependitur, secundùm

secundum autem rationem formalem, quæ est ipsa retributio, & æqualitas vindictæ, quæ quandam boni rationem habet, ad tertium genus revocatur. Quare si rationes formales spectentur; Prosequutionis irascibilis tres sunt species, Spes, Audacia, Ira; Fugæ vero duæ, Timor, & Desperatio. Undecim ergo Passiones sunt, sex concupiscibiles, quinque irascibiles.

Probabit autem quis esse plures, quod ut circa bonum absens duæ passiones sunt, Desiderium, & Spes, quarum altera respicit bonum absolutè, altera bonum sub ratione ardui: ita etiam debent esse duæ circa bonum, duæ circa malum præsens.

Dicendum tamen circa præsens sive bonum, sive malum non posse esse, nisi unam passionem. quia cum bonum, vel malum est præsens, non habet amplius rationem ardui, sed absolutè rationem boni, vel mali. Ratio enim ardui includit quamdam rationem medii, quam bonitas, vel malitia objecti connotat, nempe difficultatem superandam ad acquirendum bonum, vel vitandum malum: quæ difficultas jam cessat, cum bonum est præsens: & cum malum est præsens, vel difficultas respicitur absolutè, vel ut superanda, aut non superanda; si respicitur absolutè, spectat ad Tristitiam, & reddit illam majorem, quàm esset ex malo præsente, si non adesset difficultas vitandi illud; si respicitur ut superanda, aut non superanda, non videtur quam aliam passionem excitare possit, præter spem superandi illam, aut desperationem, aut audaciam, aut timorem.

Quæ ut melius intelligantur, libet rursum Passiones ita distinguere. Passiones sunt instrumenta quædam, quibus utitur animal ad apprehendendum bonum sibi, aut fugiendum malum. Bonum, & malum vel absolutè *spectantur*, vel ut connotant media,

media, quibus acquiruntur ; aut expelluntur. Absolutè spectata sine ordine ad media aut considerantur ut præsentia, aut ut absentia, aut ut abstrahentia à præsentia, & absentia. Circa bonum abstrahens à præsentia, & absentia absolutè spectatum versatur Amor ; cui respondet Odium circa objectum apprehensum ut malum. Circa bonum absolutè, sed absens, versatur Desiderium; cujus contraria passio est Abominatio. circa bonum absolutum, sed præsens, Delectatio; cui opponitur circa malum absolutum, sed præsens, Tristitia. Si bonum, & malum spectentur cum ordine ad media ; aut media absolutè considerantur, aut in ordine ad executionem. Circa media absolutè spectata, quibus putatur bonum acquisibile, malum vitabile, versatur Spes : circa negationem talium mediorum, seu impossibilitatem, versatur Desperatio. circa media in ordine ad executionem, Audacia ; circa negationem executionis, Timor. Circa media, ut præsentia non dantur passiones distinctæ à Delectatione, & Tristitia, ut patet: quia hæ sunt satis. Datur tamen ira ad repellendum malum ei, quod malum inducit. Ira enim est Appetitus inferendi malum ei, quod infert malum : qui appetitus est necessarius ad conservationem animalis, ut patet. Appetitus autem inferendi bonum ei, quod infert bonum. non datur in sensu, ut docet experientia: quia hic actus non est necessarius ad animalis bonum. est ergo talis actus Appetitus rationalis. Datur tamen in animali simplex complacentia erga id, quod infert bonum, qui actus est idem cum Amore. sunt ergo passiones tantùm undecim.

Sed quòd detur Passio iræ contraria objiciet quis 1. Quod ut datur ira ad repellendum malum inferendo malum ; ita potest dari affectus inferendi

di bonum ad conservandum id,quod infert bonum; atque hoc non videtur excedere fines sensus. non enim requiritur ad hunc affectum discursus, neque per illum quæritur absolutè alienum bonum, sed ob bonum appetentis. 2. Quod compertum sit experientia,Animalia quædam gratitudinem ostendisse suis benefactoribus, eos defendendo ab aliis animalibus.

Ad 1.Resp.In sensu dari solum amorem erga id, quod infert bonum. non datur autem præter amorem,appetitus inferendi bonum; sed tantùm appetitus retinendi id, quod infert bonum. quod si in retinendo accidat impedimentum, insurgit motus iræ contra id,quod infert impedimentum. Affectus ergo inferendi bonum ei,quod infert bonum,excedit fines sensus, quatenus non est necessarius ad conservationem animalis. Quod si quæ experientiæ afferuntur in contrarium, omnes salvantur per actum amoris concupiscentiæ, id est, per appetitum conservandi id quod infert bonum, ut paulò antè dictum est. Appetitus autem iræ non potest salvari per actum odii,sed præter odium habet appetitum inferendi malum. Atque per hæc patet Responsio ad secundum.

Nunc singillatim de passionibus agendum est, percurrendo breviter earum naturam,genera,causas concitantes,& reprimentes, effectus.

De Amore.

3. Amor, est actualis quædam propensio appetitus in bonum absolutè æstimatum tanquam conveniens. est autem Amor duplex, alter amicitiæ, alter concupiscentiæ. Amor amicitiæ dicitur inclinatio appetitus in bonum secundum seipsum, & tamquam

tamquam terminum. Amor concupiscentiæ, inclinatio in bonum ut relatum ad alterum, seu ut alteri applicatum, vel applicandum. (i) Fundatur autem hæc Amoris divisio in eo, quod quidquid amatur, aut propter se amatur, aut propter aliud. Ita homo cibum amat propter sui conservationem amore concupiscentiæ; se autem amat propter seipsum amore amicitiæ. Potrò Amoris causæ potissimum tres, ut diximus d. 2. q. 2. Prop. 6. cum de Amicitia. 1. (k) Ipsa rei bonitas cognitione percepta. Bonitas autem multiplex est, Honesti, utilis, jucundi; ad corpus, ad animũ, ad externa spectans. 2. (l) Similitudo amantis, & convenientia cum re amata. quamquam interdum per accidens similitudo causa odii est, nempe cum est impedimento, quo minus uterque duorum inter se similium idem bonum assequatur. 3. Ipse amor, ut in eodem loco disput. 2. explicavimus.

Amoris autem motus reprimitur contrario modo, nempe, cessando à cogitatione rei amatæ: Inquirendo, & contemplando mala, & incommoda, quæ in ea sunt: Mentem aliarum rerum contemplatione, ac amore occupando.

Effectus formalis Amoris est unio intentionalis amantis cum re amata; quatenus ipse amor est propensio amantis in bonum amatum, atque adeo veluti nexus, & vinculum quoddam utriusque. ut enim in unione naturali, sive reali, præter duo unibilia, est nexus inter illa, sive is sint ipsa unibilia, ut habent dependentiam, unum ab altero, sive modus: ita in unione intentionali,

(i) *S. Th. 1. 2. q. 27. ar. 4.* (k) *S. Tho. ibid. q. 27. ar. 1. & 2.* (l) *Idem ibid. ar. 3.*

quia bonum aliquod intentionaliter unitur alteri; præter subjectum, cui unitur, & præsentiam, seu existentiam suam, quam ipsum bonum inentionaliter habet in subjecto per speciem sui expressam, quæ est ipsa boni unibilis cognitio; debet aliquid dari, quo bonum intentionaliter unibile fiat intentionaliter unum cum subjecto, sitque causa unionis realis. Hujus nexus rationem habet propensio amantis, id est, Amor in bonum amatum. Et quamvis etiam (*m*) cognitio sit quædam unio intentionalis objecti cogniti cum cognoscente: tamen amor est magis formaliter unio, & perfectè, ac ultimatè uniens intentionaliter, & ratio formalis tendendi vitaliter ad unionem realem cum re amata. Nam amor non solùm habet ut sit unio ex eo, quod actus vitalis est, id est, ex ratione generica; ut habet cognitio: sed etiam ex sua ratione specifica, ut inclinatio quædam est, & tendentia ad objectum; quod non habet cognitio. Habetur ex amore perfecta unio: tum quia subjectum unitur objecto non solum secundum potentiam cognoscitivam, sed etiam secundum appetitivam: tum quia cum unione per cognitionem potest stare fuga ab objecto; quæ est quædam separatio vitalis ab illo; ac proinde non unio perfecta. Ex quo etiam sequitur ut unio per amorem sit unio ultimata, & in termino in genere unionis vitalis; adducens etiam quantum est ex se terminum unionis realis. Effectus etiam formalis amoris est Extasis. Amore enim censetur amans quodammodo ex se prodire, & ferri in rem amatam.

(*m*) Sup. q. 1. Prop. 5. ad 4.

Effectus

Effectus autem, qui ex amore proficiſcuntur ſecundùm genus cauſæ efficientis, ſunt 1. (n) Unio realis. Amor enim excitat amantem, ut quærat præterea conjunctionem, quæ contingere poteſt, realem cum re amata. 2. (o) Ecſtaſis ſecundùm apprehenſionem; quatenus Amor efficit, ut amans aſſiduè de re amata cogitans, abſtrahatur cogitatione à rebus aliis, ac proinde à ſeipſo. 3. (p) Zelus, qui eſt vehemens quidam appetitus removendi ea, quæ obſtant, & ſunt contraria amori, & rei amatæ. 4. Triſtitia, cum res amata eſt abſens; & (q) reliquæ paſſiones. Radix enim & fons ceterarum paſſionum, eſt Amor: quia ideo aliquid deſideratur, quia amatur; ideo aliquid odio habetur, quia eſt malum rei, quæ amatur; *&c.* 5. (r) Omnes actiones, & operationes. Quidquid enim fit, ex boni amore fit. Legi poſſunt alii Amoris effectus apud S. Th. 1. 2. q. 28.

De Odio.

4. Odium eſt vitalis quædam appetitus diſſonantia, ſeu averſio, ſeu fuga ab eo, quod malum æſtimatur. Hujus paſſionis objectum, ut patet, eſt Malum. Malum dicimus & ipſam boni negationem, ſeu privationem, & ipſum ens poſitivum, quod alteri repugnat, & cauſat defectum, ac privationem boni. Dices: Qui ſe interficit, odit ſeipſum: maximè autem bonum eſt quique ſibi: ergo objectum odii eſt etiam bonum. Reſpon. Eum, qui ſe

(n) S. Th. 1. 2. q. 28. ar. 1. vid. ar. 2. *de effectu inhæſionis.* (o) *Ibid. a.* 3. (d) *Ibid. a.* 4. (q) *Aug.* 14. *Civ. c.* 7. *& 9.* (r) S. Th. *Sup ar.* 6.

interficit, odio habere non, seipsum, sed miserias suas; & quia amat seipsum, morte putat se posse liberare à malo miseriarum. Dicitur porrò odium ita explicatum, odium Abominationis, & fugæ. est enim aliud quoddam odium, quod dicitur inimicitiæ: quod habet pro objecto materiali duo mala, Quod, & Cui, id est, id, quod appetit ut malum subjecto alicui, & ipsum subjectum, cui vult malum, quia illud odit ut quid malum: habet autem pro objecto formali aliquod bonum, nempe id, quod concipitur esse in hoc, quòd res mala subeat aliquod malum. videtur autem hoc genus odii, esse quidam actus amoris, & concupiscentiæ, qua quis appetit ut sibi, aut alteri conveniens, ut res mala subjaceat alicui malo. Quare hoc odium non est propriè odium.

Causa odii ex parte objecti est aliquod Malum vel verum, vel apparens. ex parte subjecti est Amor. est autem Amor causa odii non ejus, quod est sibi contrarium, nempe ejus quod versatur circa idem objectum, circa quod versatur amor; sed ejus, quod versatur circa objectum, quod est malum objecto, circa quod versatur amor. hoc odium amor excitat; quia odio habetur quidquid malum est rei, quæ amatur.

Compescitur autem odium excitando animum ad amorem contrarium, per cogitationem alicujus boni in eo, quod odio habetur.

De Concupiscentia.

§. Quamvis concupiscentiæ vox lata significatione sumi soleat pro quacunque appetitione boni, atque ita etiam amorem comprehendat: propriè tamen concupiscentia est Appetitus boni nondum obtenti, ut

ut obtineatur; quæ alio nomine dicitur Desiderium. est autem concupiscentia duplex, Naturalis, & Innaturalis, seu rationalis. (a) Naturalis est, quæ oritur ex ipsa natura, seu complexione animalis, qua expetuntur ea, quæ pertinent ad naturalem statum animalis tuendum. ea & in hominibus, & in brutis reperitur. Innaturalis est, quæ oritur ex dispositione, quam habet concupiscens, non quatenus est præditum natura vel complexione tali, sed quatenus æstimat hoc, aut illud sibi congruere ad delectationem. Ea reperitur in solo homine: quia homo habet apprehensionem rerum sensibilium ut sibi convenientium secundum modum, ad quem non inclinat complexio naturalis. Habet autem homo eam imaginationem, & apprehensionem ex connexione, quam habet actus imaginationis, cum actu intellectionis, & rationis. Dum enim fit actus imaginationis circa sensibilia singularia, v. g. circa pecunias, fit simul actus intellectionis circa easdem pecunias; et quia intellectus est discursivus, et collativus, investigat, ac sibi proponit variam convenientiam pecuniæ cum statu hominis; quam convenientiam appetit sensus actu concupiscentiæ. quamvis enim sensus non possit indagare eam convenientiam, quia ad indagandum illam requiritur ratio; potest tamen indagatam, ac per imaginationem, quæ simul cum intellectione fit, propositam appetere; quia ea non excedit latitudinem objecti sensibilis, circa quod versari potest appetitus sensitivus. Hoc genere concupiscentiæ appetere solent homines adorari, lucrari pecunias variis modis, &c.

(a) S. Th. 1. 2. q. 30. ar. 3.

Causæ excitantes,& cohibentes concupiscentiam eædem sunt, quas diximus in Amore. Multum valet ad frænandas concupiscentias pravas cogitatio, qua menti proponatur futura mors, honesti dignitas, inhonesti turpitudo, sensibilium bonorum vilitas,& brevis duratio, pœnitentia, quæ pravas actiones consequi solet.

De Abominatione.

6. Abominatio, est passio concupiscentiæ contraria. est enim Fuga mali nondum præsentis, ne præsens fiat. Interdum appellatur Fuga nomine aliis passionibus communi. Differt à Timore, quia Abominatio absolutè respicit malum absens ut futurum, seu cum ordine ad existentiam jam futuram, quam tamen abominatur.

De Delectatione.

7. (t) Delectatio est Amor, seu Propensio in bonum ut præsens, & jam obtentum. Sciendum autem Delectionis rationem posse latiùs sumi pro quocumque suavi, ac jucundo sensu, quem secum afferre solet operatio vitalis cum perfecta est,& versatur circa objectum conveniens: hac ratione delectabiles dicuntur, ac jucundi non solum actus potentiæ appetitivæ, sed etiam cognoscitivæ, ut sunt Visus, Tactus, Imaginatio, Intellectio. quod genus Delectationis voluptas etiam appellatur; de qua dictum est d. 2. q. 2. prop. 1. Delectatio autem

(t) *Vid. S. Th. 1. 2. q. 31, 32, 33, 34.*

stricte

strictè sumpta, de qua nunc agimus, est complacentia appetitus circa bonum præsens, & jam obtentum. Inter bona autem præsentia maximè numerantur actus sensuum externorum circa objecta jucunda. de quibus maximè solet complacere appetitus. & quia interdum contingit bonum absens ab imaginatione apprehendi ac si præsens sit: contingit etiam circa tale bonum delectationis actum versari. ita delectari solemus iis, quæ vel memoria, vel desiderio, vel spe quodammodo jam tenemus. Est autem Delectationis propriè dictæ duplex genus, Naturalis, & Rationalis, ut de concupiscentia dictum est. Naturalis Delectatio, est quæ consequitur apprehensionem sensitivam talem, qualem etiam bruta habere possunt. hoc genus delectationis versari solet circa bona corpori necessaria, ut est alimentum. Rationalis, quæ consequitur imaginationem hominis connexionem habentem cum actu rationis eo modo, quem in concupiscentia explicavimus. hoc modo delectat victoria, honor, divitiæ: hujusmodi autem delectatio propriè significatur nomine Gaudii.

Delectationes cohibentur 1. Consideratione earum tanquam abeuntium, & fugientium, & quasi fessarum, non ut firmarum, & stabilium: quia voluptates molestæ sunt abscedentes. 2. Imaginatione malorum, quæ voluptates consequuturæ sunt, ut sunt Dolor, cæcitas mentis, infamia, & similia.

(*u*) Delectationis causa semper est aliqua operatio. quia, cum delectatio versetur circa bonum jam præsens factum; non possit autem præsens fieri

(*u*) S. *Tho.* 1, 2. *q.* 32. *ar.* 2.

appetitui sine prævia imaginatione (ut docent Animastici) quæ excitatur ab operatione sensuum externorum; fit ut causa delectationis semper sit aliqua sensuum operatio, saltem imaginatio.

(x) Delectationis effectus potissimum quatuor. 1. Dilatatio cordis. motus enim cordis, qui ad passionem Delectationis consequitur, est quædam dilatatio. Potest etiam metaphorice ipse actus delectationis dici dilatatio, quatenus per illum ita bene, & commode animus se habet, sicut bene se habet corpus in loco amplo, in quo non coangustatur. Ab hoc dilatandi effectu appellatur delectatio, Lætitia, & à signis quibusdam exterioribus dicitur Exultatio, & Jucunditas: quæ nomina proprie Gaudio accommodantur, quod est hominis delectatio; secundum, & inanimatorum delectationibus metophorice. 2. Delectationis effectus est Sitis. Causat autem sitim, seu desiderium, tum ex parte objecti, cum res, circa quam delectatio versatur, non explet semel appetitum, sed oportet rursum illam usurpare: quales sunt omnes res creatæ. tum ex parte operationis, qua res delectabilis usurpatur; si operatio sit imperfecta, quantumvis res ipsa perfecta sit: ita delectatio, quam de Deo in hac vita capimus imperfecte cognito, excitat sitim & desiderium perfecte illum cognoscendi, & fruendi; quia possumus magis, ac magis in Dei cognitione, & amore proficere. Dicitur etiam omnis delectatio causare sitim, & desiderium, si desiderium, & sitis sumantur pro vacatione à fastidio, qualem solent habere illi, qui adhuc cupiunt: ita se habet delectatio beatorum in cœlo. 3. Effectus

(x) S. Tho. 1. 2. q. 33.

est

est Fastidium, qui proprius est delectationum corporalium: qui accidit cum in operationibus modus exceditur, ut cum quis multum comedit. Spirituales delectationes non causant fastidium, nisi per accidens ratione alicujus operationis corporalis concurrentis in usu operationum spiritualium. 4. (y) Obtundere, ac minuere unam operationem, cum delectatio versatur circa aliam; ut delectationes corporis intelligentiam minuunt. (z) Contra vero Perficere, & acuere operationem, de qua est delectatio. Hunc effectum causat delectatio, tum quia ipsa est complementum, & quasi terminus operationis, tum quia sua dulcedine illicit operantem ad acrius operandum.

De Dolore, seu Tristitia.

8. Dolor, ut supra de Delectatione dictum est, potest lata significatione sumi pro quocunque insuavi, & injucundo sensu, quem secum afferre solet operatio vitalis, præsertim sensuum externorum, atque in primis Tactus, circa objectum molestum, ut accidit tactui dum fit separatio continui. Stricte autem sumimus nunc Dolorem, seu Tristitiam pro Passione, seu actu vitali, per quem Appetitus sensitivus cum quadam perturbatione, & inquietudine execratur malum jam præsens, sive secundum apprehensionem. ut autem Delectatio est formaliter quies quædam vitalis; ita Tristitia est formaliter

(y) *Arist. 6. Eth. c. 5. & l. 7. c. 11: S. Tho. sup. ar. 3.*
(z) *Arist. 10. Eth. c. 4. & 5. S. Tho. sup. a. 4.*

quædam Perturbatio; & Inquietudo vitalis: quæ quia incommoda est animo, & noxia, dici potest cum Cicer. q.3. Tusc. ægritudo animi, & morbus. Porrò, quatuor modis potest Tristitia cum Delectatione comparari. 1. Secundùm rationem communem, quatenus una est Prosequutio, altera Fuga; una circa bonum versatur, altera circa malum. & secundùm hanc rationem habent inter se contrarietatem Tristitia, & Delectatio, ac mutuo sese remittunt. 2. Secundùm rationem particularem, quatenus utraque versatur circa idem objectum particulare, & sub eadem ratione. atque ita sunt inter se maximè contrariæ, ut non possint esse simul in eodem subjecto: non enim potest idem objectum sub eadem ratione æstimari bonum, & malum eodem tempore. ex qua æstimatione sequitur Dolor, & Delectatio. 3. Secundùm rationem boni, & mali particularem diversorum objectorum, sed affinium, & ita Dolor, & Delectatio possunt esse simul, & sese invicem augere; ut accidit cum dolemus de malo quia delectamur de bono ei malo contrario. 4. Secundùm rationes particulares boni, & mali disparatas. ita Tristitia, & Delectatio possunt esse simul. quamquam secundùm rationem communem sese mutuo remittunt.

Doloris divisio triplex. 1: Dividitur dolor in eum, qui sequitur apprehensionem sensitivam talem, qualem possunt habere bruta; & in eum, qui sequitur hominis imaginationem habentem connexionem cum ratione, qui proinde est proprius hominis, & peculiariter Tristitia nominatur. atque ita se habet Tristitia ad Dolorem, sicut Gaudium ad Delectationem. 2. Dividitur in interiorem, & exteriorem. Interior est, qui consequitur ad solam apprehensionem imaginationis; Exterior, qui non solum

solum imaginationem, sed etiam apprehensionem alicujus sensus exterioris consequitur; ut accidit cum re ipsa malum aliquod lædit. 3. Tertia divisio spectat ad Tristitiam, quæ propria est hominis, quæ ratione variorum connotatorum septem habet species, seu quasi species. Prima est Misericordia, quæ est Tristitia de malo alieno æstimato ut proprio. 2. Invidia, Tristitia de bono alieno æstimato ut malo proprio, quatenus per bonum alienum apprehendimus nos ab altero superari. 3. (a) Nemesis, Tristitia de bono temporali alieno, quatenus judicamus alterum esse illo indignum. 4. (b) Zelus, Tristitia de bono alieno, quatenus nobis illud deest. 5. Angustia, seu Anxietas, Tristitia sic aggravans animum, ut nullum effugium supereſſe videatur. 6. Accedia, quæ ita aggravat, ut etiam membrorum usum prohibeat, & affetat torporem. 7. Pœnitentia, Tristitia de malo præterito.

Tristitiæ (c) Causa in universum est quidquid est causa ut nobis accidat malum aliquod, vel certè ut bonis accidere seu verè, seu falsò existimemus, ut ad singula descendamus, Causat tristitiam amissio boni habiti; Frustrari spe rei expetitæ: Casus in malum, quod timebatur; Non posse vim superare, quæ impedit consequutionem, vel fruitionem boni concupiti; Ira, quæ non expletur, nempe cum vindicta sumi non potest; Desperatio, cum nullum apparet medium ad assequendum rem speratam; Dilatio in assequendo bono, quod expectatur; Memoria mali patrati.

(a) *Arist. 1. Rhet. c. 9.* (b) *Idem 2. Rhet. c. 11. S. Th. 1. 2. q. 36. a. 2.* (c) *Leg. S. Th. sup. q. 36.*

6. (d)

6. (*d*) Ad cohibendam,& depellendam triſtitiam valet plurimum depellere à nobis opinionem, & æſtimationem mali, ob quod triſtamur. Cauſa enim immediata triſtitiæ, ut patet experientia, non tam eſt malum ipſum,quam opinio illius. Removetur autem opinio mali,aut ſaltem minuitur 1. Præmeditando mala, quæ nobis poſſunt contingere,non quaſi eventura ſint, ſed ne accidant inopinata, ſi contigerit evenire. Mala enim præmeditata multo minorem cauſant opinionem ſui, quam inopinata. 2. Cogitando, cum accidunt adverſa, utilitates,quæ colliguntur ex ipſis, ſi moderate ferantur, exhibent enim occaſionem exercendi patientiam, magnanimitatem, & alias virtutes præclariſſimas; quæ & laudem habent, ac decus apud homines, & Dei benevolentiam conciliant. 3. Avocando cogitationem à malo, quod præſens eſt, & convertendo animum ad bona, quæ vel habentur, vel ſperantur futura. 4. Putando humana eſſe, quæ acciderint, atque ideo tolerabilia, quæ & tulerint,& ferant cæteri. 5. Cogitando nullam eſſe in triſtitia utilitatem. Non enim illa minuit malum,aut tollit, ſed ſui poſitione cruciat. 6. Recolendo præteritam liberationem à ſimili malo,ut ſpes excitetur evadendi à malo præſenti, atque ita levius feratur. 7. Adhibendo ea,quæ delectationem afferunt;quia cum delectatio ſit quædam quies,quæcunque illa ſit, temperat triſtitiam, quæ perturbatio, & inquietudo animi eſt. Cauſat magnam delectationem contemplatio veritatis,præſertim rerum divinarum. Cauſat delectationem amicorũ conſolatio;quia ex ea intelligimus nos ab amicis amari;maxime autem delectat

(d) *Leg. S.Th.ſup.q. 28.*

Amari;

Amari. oritur etiam delectatio ex fletu: sed cùm ille nec tollat, nec minuat malum, repellendus est, cùm est nimius, ut quid inutile. 8. Considerando incommoda, quæ ex tristitia proficiscuntur. Illa ex tristitiæ effectibus intelliguntur.

Effectus autem Tristitiæ sunt plurimi tum in animi nocumentum, tum corporis. Impedit, cùm ea est immodica, omnem operationem, præsertim intelligentiæ, ac rationis. (e) Est enim actus vehemens intentionem, ac vim omnem animi ad se trahens, & absumens spiritus animales. quamquam cum tristitia est modica, studium acuit, saltem ejus operationis, quæ ob illam suscipitur. (f) Porro omnium passionum maximè nocet corpori tristitia ratione motionis, quam causat in corpore, quæ est maximè contraria vitali motioni corporis. vitalis enim motio corporis est conformis motui passionum, quæ sunt prosequutiones boni conformis corpori: passiones autem, quæ habent rationem fugæ causant motiones contrarias dictæ motioni vitali. in his maximè contraria est motio, quæ caulatur à tristitia.

De Spe.

9. Spes est appetitio boni futuri ardui possibilis ad obtinendum. Ad hanc appetitionem formandam non est necessarium ut futuritio apprehendatur. Bruta enim habent hanc passionem, nec tamen futuritionem apprehendunt. si neque arduitas apprehendatur, adhuc spes est passio à cæteris passionibus distincta. Necessarium autem est apprehendi

(e) *S. Thom. sup. q. 37. ar. 1;*
(f) *S. Th. ib. ar. 4;*

Possis

Possibilitatem; ut Spes differat à Desiderio, quæ est appetitio Boni absoluti. Porro enim bruta possibilitatem apprehendunt, apprehendere enim possibilitatem est apprehendere saltem in confuso media ad bonum, quod appetitur, habentia convenientiam, seu proportionem cum potentia executiva: bruta autem apprehendunt media ita proportionata, licèt non apprehendant ut media, neque ut proportionem habentia cum potentia. Dividitur autem Spes in Rationalem, & Irrationalem, ut suprà de Concupiscentia,& Delectatione diximus.

Causant spem, & augent ea, quæ suppeditant facultatem ad bonum arduum assequendum,vel certè æstimare faciunt seu verè, seu falsò, possibile esse bonum aliquod ad obtinendum. His autem contraria spem minuunt. Inexperti, ut juvenes, solent esse bene sperantes, quia non habent cognitionem difficultatum. Interdum experientia spem excitat, cum usu compertum est difficultates posse superari.

Spei effectus præcipuus est, operationem expeditam reddere. Facit autem hoc excitando animi attentionem ad illam. excitat autem attentionem tum proponendo bonum possibile, quod allicit ad se animum; tum causando delectationem per æstimationem boni possibilis quasi præsentis; delectatio autem tradit animum ad operandum.

De Desperatione

10. Desperatio est motus quidam, quo appetitus quasi victus difficultate adipiscendi boni, refugit ab illo æstimato ut impossibili. Objectum ergo desperationis est bonum impossibile. Cùm autem desperatio sit formaliter fuga quædam, ut patet; be-

bonum autem non sit objectum fugæ, sed prosequutionis: manifestè colligitur rationem boni non spectare ad rationem formalem objecti Desperationis, spectat ergo ad rationem formalem impossibilitas, quæ est defectus facultatis ad assequendum bonum arduum. qui defectus cùm habeat rationem mali, ut patet, objectum est fugæ. Refertur autem is defectus ad bonum arduum, seu habet respectum ad illud, ab eoque bonum arduum denominatur impossibile. Compositum ergo bonum arduum cum impossibilitate, & quasi ei subsstratum, est objectum materiale desperationis, cujus ratio formalis est impossibilitas. Cùm autem hæc passio duplicem ordinem habeat, nempe ad bonum, & ad malum; notior autem nobis sit ordo ad bonum; ab hoc ordine Desperationis nomen desumptum est.

De Audacia.

11. Audacia est tendentia vitalis in bonum difficile ad obtinendum ut obtineatur. objectum enim audaciæ non est tantum bonum absens, ut Desiderii, neque tantum bonum absens possibile, seu connotans media, quibus acquiri potest, ut Spei: sed bonum absens connotans media non absolutè, sed ut dicentia ordinem ad exequutionem. Fertur enim motus audaciæ in exequutionem mediorum, ut obtineatur bonum, quod speratur. & quia talis motus magis elucet cùm bonum est difficile ad obtinendum, seu cùm exequutio mediorum subjacet periculo, si contempto periculo tendat appetitus in exequutionem; ideo addita est in definitione Audaciæ particula illa, Difficile. Sed si bonum non esset difficile, adhuc distingueretur Audacia à Desiderio, & Spe, ut jam explicatum est, nempe

per

per connotationem executionis mediorum: licèt autem aliquo modo diversæ rationis sit audacia, quæ connotat exequutionem sine periculo, ab ea, quæ connotat cum periculo, & ad quam significandam videtur Audaciæ nomen impositum: non est tamen tanta diversitas, ut diversa passionum genera constituant; quia earum objecta sunt ejusdem rationis, nempe exequutio mediorum: facilitas,& difficultas solùm materialiter se habent,ut major,et major facilitas,major,& major difficultas. adde, quòd difficultas non addit in objecto, nisi negationem facilitatis majoris, & in ordine ad appetitum non efficit aliud, nisi illum retardare ab actu prosequutionis, quod non est actum specificare. Non enim fertur appetitus actu audaciæ in illam negationem, ut actu desperationis fertur in negationem mediorum: sed in media habentia parvam facilitatem, & ideo requirentia vehementiorem actum, ut executioni mandentur: verùm quia interdum actus audaciæ sit cum contemptu periculi imminentis; ratione contemptus, qui connotatur, quique fortasse est idem actus cum actu appetitûs exequendi media; licèt sit specie diversus actus audaciæ, qui pericula connotat, ab eo, qui non connotat; non est tamen tanta diversitas, ut debeant constitui diversa genera passionum: vel potiùs dicendum contemptum periculi, ut periculum est, & specificans diversum actum, non esse actum appetitûs sensitivi, sed intellectivi; ac proinde non spectare ad passiones, de quibus agimus.

Porro dividitur Audacia, ut & Concupiscentia in Rationalem, & Irrationalem. (g) Irrationalis, id est, ea, quæ solam imaginationem consequitur fi-

(g) S. Tho. 1. 2. q. 45. ar. 4.

ne discursu rationis, initio prævaler, sed paulatim remittit motum suum. Contrarium autem accidit Audaciæ rationali, id est, ei, quæ in exequutionem mediorum tendit præmisso discursu rationis. Ratio hujus est, quia pericula, quæ non prævidentur, cùm sese offerunt, deterrent appetitum; cùm autem prævidentur, ut accidit in audacia rationali, rationes excogitantur, quibus obviam periculis eatur, & sæpe ipsa experientia comperiuntur esse minora, quàm fuerant mente cogitata.

Audaciæ causæ sunt eædem, quæ Spei: quia audacia tendit in exequutionem mediorum ad assequendum bonum, quod speratur. Quare quo quisque in Deo fidentior est, eò est audacior: fidentior autem est, qui melius se habet erga Deum, quia certiùs sibi pollicetur auxilium divinum, per quod omnia possit. Causat etiam Audaciam ira, tum quia calorem excitat circa Cor, qui audaciam juvat: tum quia movet appetitum ad appetendum exequutionem eorum, quæ sunt media ad vindictam.

De Timore.

12. Timor est passio Audaciæ contraria, qua horret appetitus periculum imminens mali: seu, Est fuga vitalis à malo, quod imminet, ne accidat: est enim objectum timoris non solùm malum absens, ut abominationis; neque solùm malum absens futurum, seu connotans negationem mediorum ad illud vitandum, quod est objectum Desperationis; sed malum futurum connotans exequutionem dubiam mediorum, quæ illud inferunt. Dixi, dubium, id est, cum aliqua spe evadendi; quia si nulla sit evadendi spes, æstimatúrque malum omnino eventurum, tunc non Timor excitatur, sed Tristitia, tanquam

tanquam de malo jam præsente per imaginationem. Porro non timentur ea mala, quæ facilè vitari possunt: (h) quæ cogitantur non imminere proximè, sed procul abesse, aut nullo modo timentur aut parum.

Est autem duplex Timoris divisio, altera in duo genera, Rationalem, & Irrationalem, ut de aliis passionibus dictum est. altera in sex quasi species. eæ sunt, 1. Segnities, quæ est timor laboris vires excedentis; quo quis retardatur ab opere. 2. Erubescentia, quæ est timor jacturæ existimationis bonæ ob turpe opus jam gestum. 3. Verecundia, timor jacturæ existimationis bonæ propter malum opus futurum, quod quis statuit patrare. 4. Admiratio, timor magni mali, cujus non possit exitus reperiri. 5. Stupor, timor mali, quod propter novitatem, & inexperientiam ingens videatur. 6. Agonia, timor mali, cui ipse timens nullo modo possit occurrere. Harum autem specierum nomina solent interdum in alia significatione accipi. ut Admiratio solet sumi pro consideratione alicujus effectus, cujus causam quis nesciat, & scire cupiat.

(*i*) Timor omnis oritur ex amore boni, quod est contrarium malo, quod timetur. (*k*) Non enim est alia metuendi causa, nisi ne id, quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum. Causat etiam timorem defectus facultatis ad malum vel avertendum, vel tolerandum fortiter. Timet enim quisque illud malum, cui non facilè potest obstare. Quare eò quisque minus est timidus, quò majore facultate præditus est ad resistendum malum.

(h) *Arist.2.Rhet.c.5.* (i) *S.Th.* 1.2.*q.*43. (k) *S. Aug.*38.89.*q.*33.

Pellitur

Pellitur autem, ac minuitur Timor. 1. Pellendo ex animo amorem, ex quo oritur timor. 2. Adhibendo eadem remedia, quæ diximus pro cohibenda Tristitia. 3. Cogitando attentiùs, & mente pertractando speciem illam, & dignitatem virtutis, quæ elucet in iis, qui quantumvis magno impendente malo, constanti, & magno, tranquilloque animo sunt. 4. Deponendo quantum fieri potest opinionem mali futuri, quæ timorem efficit. (l) Deponitur autem cogitando, aut non esse malum, quod timetur; aut non tantum, quantum putatur; aut non eventurum. 5. (m) Cogitando, etiam si verum, & magnum sit malum, & futurum; non esse tamen conveniens ante tempus excruciari, satis esse postmodum eo adveniente torqueri. 6. Excitando sibi fiduciæ affectum in Deum: (n) ex pietate autem, & amore in ipsum Deum oritur is affectus fiduciæ. Deus enim maximè opitulatur iis, qui pii sunt, & amantes ipsius.

Timoris effectus sunt (o) 1. Contrahere spiritus vitales, & removere calorem naturalem etiam ex corde, ut docet experientia. fit autem ex defectu caloris, & spirituum, ut tremore corripiantur membra externa, ut explicat Arist. sect. 27. Probl. p. 7. ex tremore autem operatio externa impeditur. Accidit etiam ob eundem defectum, ut cor palpiter. 2. Cùm timor est moderatus, ut non perturbet nimium mentem, (p) habet eum effectum, ut exacuat rationem ad excogitandum, capiendùmque consilium. exacuit autem rationem per solicitudinem, quam inducit.

(l) *Seneca Epist. 24.* (m) *Id. ibid. & Ep. 75.*
(n) *Arist. 2. Rhet. c. 5.* (o) S. *Tho. 1. 2. q. 44. ar. 1.*
(p) *Aristot. sup. 2. & S. Tho. ar. 2. ad 2. & a. 4.*

De

De Ira.

13. Ira est appetitio reddendi malum, seu inferendi malum ei quod malum infert. Compensatio autem, ac retributio accepti mali rationem quandam boni habet. quare licèt objectum materiale, nempe malum inferendum, sit verè malum; ratio tamen formalis, sub qua malũ appetitur, est ratio quædam boni, ut dictum est. Porro licèt objectum, circa quod versatur odium inimicitiæ, conveniat cum objecto Iræ, quod in utroque objecto ratio materialis sit malum aliquod conjungendum malo, id est, ei quod malum intulit; & ratio formalis sit ratio convenientiæ, quæ apprehenditur in ea conjunctione mali cum malo: differunt tamen inter se, quod in objecto odii conjunctio mali cum malo spectatur absolutè ut conveniens: in objecto autem iræ spectatur ut compensatio, & retributio. Præterea in objecto iræ includitur ordo ad executionem; executio n. vindictæ appetitur: at objectum odii abstrahit ab ordine ad executionem. (q) Præterea alterum extremum obiecti iræ, nempe subiectum, cui appetitur malum, semper est aliquod singulare, ut Socrates, Callias: subiectum autem in obiecto odii, solet etiam esse commune aliquid ut calumniator, fur, omnes enim oderunt furem, calumniatorem. Potest autem ratio convenientiæ, quæ est in obiecto odii inimicitiæ, & ratio retributionis in obiecto iræ, duobus modis apprehendi, nempe materialiter ipsa convenientia, & retributio, & formaliter ut convenientia, & retributio, est. utrovis modo apprehendatur, concitat appetitum ad odium, & iram. Prior modus & in brutis, & in hominibus reperitur,

(q) *Arist.2. Rhet. c. 2.*

Posterior

Posterior in hominibus tantùm: quia apprehensio formalis convenientiæ, & retributionis non potest esse, nisi ab intellectu.

Dividitur Ira 1. In Rationalem, & Irrationalem, ut de aliis passionibus dictum est. 2. (r) In Fel, Maniam, Furorem. Fel, est ira subitò excandescens. Mania, est ira permanens, & diuturna. Furor, est ira nunquam conquiescens, donec sumatur vindicta. Arist. 4. eth. ca. 5. vocat eos, qui prima iræ speciè concitantur, Acutos; qui secunda, Amaros; qui tertia, Difficiles. Differunt autem hæc tria genera non essentialiter, sed accidentaliter ex parte diversarum subiecti dispositionum.

Causæ iram concitantes sunt 1. Ex parte irascentis variæ passiones, ac in primis tristitia. (s) Non enim insurgit ira, nisi ob aliquam tristitiam illatam. Debet etiam adesse desiderium, & spes ulciscendi; alioquin ira non sequitur tristitiam. 2. Ex parte rerum extrinsecarum causant iram incommoda, & injuriæ illatæ. (t) Causant autem hæc maximè iram in homine sub ratione contemptus, seu parvipensionis: appetit enim maximè homo propriam excellentiam; quare maximè irascitur, cùm putat se contemni. (u) Inde fit, ut quò quis maiore excellentia præditus est, eo facilius, & vehementius ratione iniuriæ illatæ irascatur, quamquam defectus excellentiæ, ut calamitas, morbi, & similia, solet vehementer iram concitare; quia procli-

(r) S. Tho. 2. 2. q. 46 a. 8.
(s) Arist. 2. Rhet. c. 2. & S. Tho. sup. a. 1.
(t) Aristot. 5. p. S. Tho. q. 47. a. 2.
(u) S. Tho. a. 2.

vem,

vem reddit hominem ad triſtitiam, ex qua proximè ira naſci ſolet. (x) Quò autem vilior eſt, qui injuriam infert, eò ſolet vehementior ira concitari, quia contemptus eſt major.

Valet ad aliorum in nos iram avertendam. 1. Dare locum iræ, id eſt, non reſiſtere irato, neque velle ſtatim atque ejus ira inflammatur, eam reſtinguere. ut enim flamma, cùm ingens eſt, ventilatione magis accenditur; ita ira imaginatione objecti læſivi, quæ objecti commemoratione, quam facit, qui vult iram reſtinguere, magis augetur. 3. (y) Removetur ira, removendo ſuſpicionem contemptus; ex qua ſcilicet exiſtit ira. Removebis autem eam ſuſpicionem, ſi dixeris te ignorante, aut iratè læſiſſe, aut ob bonum finem. 3. Lenitur humili, pacatoque ſermone; (z) & agnitione, pœnitentia, deprecatione culpæ, cùm in alterum peccatum eſt. His enim modis tollitur contemptus.

Modus autem compeſcendi in nobis iram, cùm ea non eſt ſecundùm rectam rationem, eſt 1. (a) Nihil nec verbo, nec facto tentare tunc, cum ira concitamur, ſed quieſcere donec ardor ille per ſe remittatur. 2. (b) Minuere quo ad fieri poſſit, in nobis opinionem exiſtimatæ injuriæ. Sæpe enim fallimur, injuriam reputantes id, quod non eſt, aut non tantum, ut ob id iraſci debeamus. 3. (c) Cogitare nos aliquanto poſt tempore alio modo ſenſuros eſſe de injuria, quàm ſentimus nunc cùm ira concitamur. Agendum ergo nunc, quod aliquanto poſt tempore ageremus. 4. (d) Propone-

(x) *Idem c.* 4. (y) *Ariſt. 2. Rhet. c.* 3. (z) *Ariſtot. ibid.* (a) *Plut. lib. de cohibenda iracundia.* (b) *Seneca de Ira l.* 3. *c* 29. (c) *Plut. ſup.* (d) *Chryſoſt. hom.* 47. *in Joan. Plu. ſu.* re

re nobis miſeriam ejus, à quo patimur injuriam, valde enim miſer eſt, qui malè agit. Nemo autem in miſerum iraſcitur. 5. Reputare incommoda, quæ multò majora ſequentur, ſi velimus injuriam ulciſci. 6. Paucis contentos eſſe. hoc enim modo ſubſtrahitur iraſcendi materia. 7. Nolle perquirere ea, quæ cognita, iram provocant. 8. Iracundorum ſocietatem vitare. 9. Manſuetudinis dignitatem conſiderare, & vim ad certius aſſequendum quod aſſequi per iracundiam vellemus. 10. (e) Proponere nobis ad imitandum præclara manſuetorum hominum exempla; præſertim Chriſti Domini. 11. Iræ turpitudinem, & fœdos ejus affectus cogitare. 12. Putare non opus eſſe ſtatim iraſci; ſemper futurum tempus juſtè ulciſcendi. 13. Adhibere eadem remedia, quæ pro frænandis aliis paſſionibus dicta ſunt. oritur enim ex aliis paſſionibus ira, potiſſimum ex amore, concupiſcentia, triſtitia.

Effectus iræ ſunt 1. Delectatio. (f) Cauſatur enim delectatio per vindictæ, quæ bonum quoddam æſtimatur quatenus injuriam illatam tollit, præſentiam. quam vindictæ præſentiam inducit ira; ſive realiter, & tunc perfecta eſt delectatio quia omnino injuria tollitur; ſive per imaginationem cogitando de vindicta; ſive per ſpem, quia non inſurgit motus iræ, niſi adſit ſpes vindictæ, ut ſuprà dictum eſt. Bonum autem vindictæ, quod per iram inducitur, non eſt abſolutè bonum, ſed quatenus tollit malum injuriæ; (g) atque adeò ſe habet ut medicina tollens morbum. 2. Effectus eſt iræ (h) Fer-

(e) *Chryſoſt hom. 3. de David & Saul.* (f) *Ariſt. 2. Rhet. c. 2. S. Tho. 1. 2. qu. 48 ſ. 3.* (g) *Ariſt. 7 eth. c. 12.* (h) *S. Thom. ſup. art. 2.*

vor

vor sanguinis, & spirituum circa cor. Causatur autem fervor ex calore, quem causat ipse actus appetendi vindictam. Habet autem ut is actus calorem causet, quia ad repellendam iniuriam requiritur vigor & activitas. calor autem est valde activus. Porro etiam amor calorem causat. sed calor qui oritur ex amore, est remissior, & similis calori aeris, qui admiscetur sanguini, quem transmittit jecur ad cor: calor autem ex ira est vehementior, & acrior, similis calori ignis, admixtus coleræ, quem evaporat fel. Inde fit ut sanguinis fervor in ira sit vehementior, & (1) cum magna cordis perturbatione, ac aliorum membrorum. 3. Ira plus cæteris passionibus rationis usum impedit; quia plus cæteris perturbat organa, è quibus pendet actus phantasiæ; à quo actu magna ex parte pendet operatio rationis propter connexionem, quam habet intellectio cum imaginatione. 4. Ira modò locutionem inducit, modò silentium. Inducitur loquutio ex cordis fervore. Inducitur silentium, cùm tam magna est iræ perturbatio, ut linguæ motum impediat.

De Comparatione, ac ordine passionum inter se.

14. Ut passiones clariùs intelligantur, comparandæ illæ sunt inter se. 1. Secundùm contrarietatem. (2) Sunt autem passiones motus quidam; quare in earum contrarietate eodem modo philosophandum est, quo in contrarietate motuum, seu mutationum. est autem duplex contrarietas in motibus; una secundùm accessum, & recessum respe-

(1) *Vide S. Greg. 5. Mor. c. 31. & S. Chrysost. homil. 3. in Joan.* (2) *S. Th. 1, 2. q. 23. ar. 1.*

ctu

ctm ejusdem termini; ut Generatio est accessus ad formam, corruptio recessus ab illa: alia secundùm contrarietatem terminorum, quæ in motibus facit contrarietatem propriè dictam: ita dealbatio est contraria denigrationi, quia albedo, & nigredo sunt termini inter se contraria. eodem modo in Passionibus animæ duplex contrarietas reperitur, una secundùm contrarietatem objectorum, alia secundùm accessum & recessum ab eodem objecto. Bonum, & malum absolutè sumpta causant primam contrarietatem; quia ad bonum ut sic non est nisi accessus, ad malum ut sic non est nisi recessus. At bonum ut arduum, seu cum difficultate, unus terminus existens causat secundam contrarietatem secundùm accessum ad ipsum, & recessum ab ipso, nempe Spem, & Desperationem, Audaciam, & Timorem. quamquam Bonum difficile non secundùm eandem rationem causat accessum, & recessum, causat enim accessum ut bonum est, habens media possibilia, causat recessum ut habens negationem mediorum.

2. Comparatio Passionum inter se est secundùm ordinem generationis, quatenus aliæ ex aliis excitari, & sese consequi possunt. Si ad particularia objecta; & particulares casus respiciamus; quælibet passio potest à qualibet oriri, quia quodlibet objectum potest ad quodlibet ordinari: ut qui motum habet iræ, potest concitari motu concupiscentiæ alicujus boni necessarii ad sumendam vindictam; & sic de aliis: (1) Si verò respiciamus ad ipsam appetitûs naturam, & ad objecta secundùm se considerata; ita passiones concupiscibiles sunt priores passionibus irascibilibus,

(1) S.Th.1.2.q.25.ar.1.

& hæ in illas (saltem quoad prosecutionem) ut in finem ordinantur. Nam concupiscibiles spectant bonum, aut malum absolutè; irascibiles autem respiciunt bonum, & malum cum ordine ad media. at appetitio, & prosecutio mediorum est posterior appetitione finis. (*m*) Inter ipsas autem passiones concupiscibiles eæ, quæ sunt prosequutiones, sunt priores iis, quæ sunt fugæ: idémque ordo est in passionibus irascibilibus. Ideo enim fugitur malum, quia amatúr bonum. Rursum in concupiscibilibus, prima est Amor, deinde sequitur concupiscentia, postremo delectatio. Prius enim est appetitus finis; tum motus ad illum, qualis est desiderium; postremò quies in illo, quæ est Delectatio. Idem autem ordo est passionum his oppositarum, nempe odii, abominationis, tristitiæ. In irascibilibus, prima est Spes, secunda Audacia, postrema Ira. quia prius est appetitio mediorum, tum motus ad executionem, postremò expulsio impedimentorum, si ea occurrant. Desperatio, & Timor disparatè se habent. Nam, ut Desperatio non consequitur ad spem, quemadmodum odium ad amorem, quatenus odium versatur circa malum bono amato contrarium; & ut Timor non per se consequitur ad audaciam, sed disparatè se habet. ergo spectata appetitus, & objectorum natura, prima passionum est Amor, ultima Ira.

Tertia Comparatio passionum est secundùm dignitatem, & perfectionem. 1. Passiones concupiscibiles videntur perfectiores irascibilibus, quia finis dignior est mediis. concupiscibiles autem circa finem, irascibiles circa media versantur. 2. Quæ

(m) *Ibid. ar.* 2.

hæ

habent rationem proſecutionis ſunt perfectiores iis, quæ habent rationem fugæ. quia accessus ad terminum eſt perfectior receſſu à termino contrario; ut apparet in motu naturali, ut lapidis deorſum, qui eſt velocior in fine. & ſuadet ratio, quia per acceſſum in terminum acquiritur aliqua perfectio; per receſſum autem removetur tantùm impediens perfectionem. 3. (*n*) Illæ, quæ habent rationem quandam termini, & finis, perfectiores, ac magis præcipuæ cenſentur aliis: eæ ſunt quatuor, nempe Gaudium, Triſtitia, Spes, Timor. Gaudium habet rationem termini, & complementi circa bonum, & Triſtitia circa malum, ut bonum, & malum abſolutè ſumuntur. ut autem bonum, & malum ſumuntur cum ordine ad media, circa bonum habet rationem termini Spes, circa malum Timor. Audacia, & Ira, licèt ſint poſteriores Spe, non habent tamen rationem quietis circa media, ſed potius ſunt motus quidam ad illa, & effectus Spei. Deſperatio autem, quæ Spei reſpondet, non eſt ex præcipuis paſſionibus; quia non habet rationem complementi, ac termini; cùm ad ipſam adhuc conſequi poſſit Timor, qui verſetur circa executionem medii ad malum, circa cujus ad illud vitandum media verſata eſt Deſperatio.

De ſubjecto paſſionum.

15. Videndum eſt ubi ſint in homine paſſiones tanquam in ſubjecto, an in aliqua potentia cognoſcitiva, an in anima, an in voluntate.

1. Videtur non poſſe paſſiones ſubjectari in ul-

(*n*) S. Th. 1. 2. q. 25. a. 4.

la ex potentiis cognoscitivis. Passiones enim sunt actus vitales, ut patet, id est, actus entis, quòd habet corpus organicum, hoc est, in diversis partibus affectum diversis dispositionibus, qualia sunt brutorum, & hominum corpora: vitales autem actus sunt immanentes, ut patet inductione, recepti in eodem subjecto, à quo producuntur. Jam passionum actus, quos hactenus explicavimus, non sunt actus cognitionum: quia, ut docet experientia, sæpe cognoscitur aliquod bonum, & tamen non amatur: ergo contingit separari cognitionem ab amore; & licèt non possit esse amor sine cognitione; tamen interdum contingit amorem fieri intensiorem, & cognitionem minui, ac remitti: ergo distinctionem habent cognitio, & passio inter se. In subjectis igitur recipiuntur inter se distinctis saltem ratione: ut subjectum, quod passionem recipit, non recipiat illam quatenus cognoscitiva est, sed ut appetitivum.

2 (*a*) Subjectum adæquatum passionum videtur esse totum compositum, nempe tum corpus, tum anima ipsa. 1. Quia de ratione actuum vitalium, quales sunt passiones, est recipi in eo, à quo producuntur: Passiones autem & producuntur immediatè ab anima, cùm actus vitæ, quales sunt passiones, non possint esse nisi à vita, qualis est anima: & producuntur à dispositionibus corporis, cùm nulla sit ratio ad negandum quòd dispositiones non influant ad ejus formæ productionem, ad quam disponunt, & hoc modo meliùs intelligatur necessitas disponendi. 2. Quia passiones sunt quoddam genus vitæ. Competit ergo earum receptio tum animæ, quippe cui maximè competit vivere, cùm sit vitæ princi-

---

(*a*) *vid. sup. sect.* 1.

pium;

pium: tum corpori, cui, cum est organicum, competit recipere vitam substantialem, nempe animam; ergo & accidentalem, quales sunt passiones.

Objicies 1. Contra primam rationem posset dici passiones, quæ sunt actus vitæ, produci à cognitione, quæ etiam est actus vitæ, non ab anima. ergo non recipiuntur in anima. 2. Passiones sunt entia materialia, ac proinde extensa; quia ut in prima ratione dictum est, influunt ad earum productionem dispositiones corporeæ, quæ non possunt productione attingere ens spirituale: at anima in homine est spiritualis. ergo passiones in homine non subjectantur in anima.

Ad 1. Resp. Cognitionis sensitivæ subjectum, ad quam passio consequitur, esse cerebrum, ut suadet experientia, & probant Animastici. subjectum autem passionum est cor, ut suadetur tum ex eo, quod sentimus in corde amorem, iram, audaciam, & cæteras passiones; tum quòd alterationes, & alii effectus, qui ex passionibus procedunt, maximè sunt in corde, & à corde procedunt; tum quòd passiones sunt principia quædam, sive instrumenta, quibus animal tendit ad bonum sibi. ergo debuit sedes earum esse viventi commoda: maximè autem commoda sedes est viventis medium, quod est cor. Jam cognitio quæ est in cerebro non facilè appareret qua ratione possit influere in passiones, quæ sunt in corde. influit ergo anima, quæ est in toto corpore. 2. R. Etiam si in passiones influat cognitio, adhuc passiones quatenus à cognitione dependent, debere in anima recipi, quia cognitio sensitiva partialiter in anima recipitur, ut probant duæ illæ rationes, quæ pro passionibus allatæ sunt.

Ad 2. Resp. Nihil impedire quo minus ens spirituale coexistens corpori, ut sit totum in toto, &

totum in qualibet parte corporis, ut accidit animæ rationali quatenus informat corpus; recipere possit, ac subjectare partialiter ens materiale, & corporeum. ut enim anima indivisibilis est forma subjecti divisibilis, nempe corporis: ita potest esse subjectum rei divisibilis, si ei coexistat, ut paulò antè explicatum est.

3. Anima rationalis (posito quòd voluntas non distinguitur à parte rei ab anima) non est subjectum passionum quatenus voluntas est, sed quatenus appetitus sensitivus. Anima enim est voluntas, seu appetitus rationalis quatenus movetur ad appetendum prævia cognitione rationali, quæ nempe vel circa objecta spiritualia, aut universalia versatur, ad quæ non potest elevari sensus; vel circa singularia materialia cum discursu. est eadem anima appetitus sensitivus quatenus movetur ad appetendum prævia cognitione sensitiva; ut eadem est principium vegetandi quatenus concurrentibus primis quatuor qualitatibus operatur circa alimentum. Jam cùm producuntur passiones, quæ sunt entia materialia, ut dictum est, necessario præit cognitio sensitiva: quia cùm objecta passionum sint omnino materialia singularia, sunt proinde objecta apta, ut circa ea versetur cognitio sensitiva imaginationis. Proposito ergo animæ objecto singulari materiali, anima quæ quatenus forma corporis facit unum principium operationum cum corpore, producit cognitionem talem, ad quam potest simul influere dispositio materialis, quæ est in corpore, nempe cognitionem sensitivam imaginationis. Ad hanc cognitionem consequitur passio. non enim potest consequi ad cognitionem rationalem, quæ, ut rationalis est, proponit appetitui objectum sub ratione abstrahente à materialitate,

litate,& singularitate; quia operatio materialis non potest attingere tale objectum,& specificari ab illo. Quod si contingat simul cum cognitione sensitiva formari cognitionem intellectivam apprehendentem objectum materiale, ut materiale singulare est: quia simul cum ea cognitione formatur etiam cognitio sensitiva, ut ratio paulò antè allata suadet; à cognitione sensitiva movetur anima ad formandum actum passionis, quæ est materialis, non ab intellectiva immediatè, quia actus materialis cum actu materiali, qualis est cognitio sensitiva, proportionem habet. verum ergo est quod principio dicebatur, Animam esse subjectum passionum non quatenus voluntas est, id est, quatenus movetur à cognitione rationali; sed quatenus appetitus sensitivus est, hoc est, quatenus mobilis à cognitione sensitiva.

De Morali passionum bonitate, & malitia.

16. (*p*) Passiones ex se neque bonæ, neque malæ moraliter sunt: sed quatenus in homine pendent ex imperio rationis, si moderatæ sint, & conformitatem habentes cum ratione, bonæ moraliter sunt per denominationem extrinsecam acceptam ab actu rationis moraliter bono, quatenus ab eo sunt directè volitæ: sin actus ille sit moraliter malus, passiones per illius denominationem malæ moraliter sunt. Quòd passiones ex se neque bonæ, neque malæ moraliter sint, suadetur ex eo, quod eædem in brutis reperiuntur in quibus nulla moralitas est. Imò in ipso homine, quantumvis uten-

(*p*) *S. Th. 1. 2. q. 24. ar. 4.*

te actu rationis, potest accidere ut passiones sint actus indifferentes, etiam in individuo, non solùm secundùm speciem; quia potest interdum accidere, ut motus passionum non subeat imperio rationis, ut cùm excitantur passiones repugnante ratione. tunc enim non habent bonitatem moralem, quia non possunt recipere denominationem ab actu rationis; cùm non fint ab eo volitæ: neque habent malitiam moralem, quia licèt fundamentaliter, & materialiter sint malæ quatenus non sunt conformes rationi; non sunt tamen malæ malitia formali morali, quia non adest ullus actus rationis malus moraliter, à quo sint volitæ, ac proinde denominentur moraliter malæ. Id non accidit actibus internis voluntatis, qui fiunt cum advertentia rationis. hi enim cùm pendeant immediatè à voluntate, quæ semper debet agere conformiter rationi, & in ordine ad finem suum, qui est bonum hominis, ut homo est, nempe felicitas hominis, ac virtus; non possunt esse indifferentes neque quoad speciem, sed necessariò sunt aut boni moraliter, aut mali per connotationem rationis, aut per denominationem sumptam ab alio præcedente actu voluntatis. Neque hæc indifferentia quoad individuum accidit iis actibus externis, qui nullo modo habent relationem ex se ad bonum hominis, ut homo est, ut est actus elevandi è terra festucam. hic enim actus, cùm dependeat ab imperio rationis; si adsit advertentia rationis, licèt ex se sit actus indifferens, quia neque ad bonum hominis ut homo est, neque ad malum spectat: quatenus tamen actus sit advertente ratione (quod est, quatenus est individuo) aut est bonus determinatè, nempe si ordinetur ad finem bonum, aut determinatè malus, si aliqua circumstantia sit mala, aut ad nullum finem ordinetur,

tur, quod est esse actum otiosum. videnda quæ diximus de bonitate, & malitia morali d. 1. q. 3. prop. 4.

Operationum divisio.

17. Hactenus de altera duarum objecti virtutum moralium parte, nempe de passione dictum est, quæ est actus appetitus sensitivi: nunc de altera parte, nempe de operatione, dicendum; quæ est actus appetitus rationalis, seu voluntatis. Dividuntur autem actus voluntatis generali divisione in Voluntatem, Intensionem, Fruitionem, Electionem, Consensum, Usum; de quibus diximus d. 1. q. 4. Prop. 1. §. 4. Hi actus quatenus circa objecta operabilia versantur ad bonum hominis spectantia ut homo est, operationes morales sunt; & in duo genera dividuntur pro duplici genere objectorum operabilium ad bonum hominis ut homo est spectantium: omne autem bonum operabile, aut ipsius operantis bonum est, aut bonum alterius personæ ab ipso operante distinctæ. Operationes morales quæ circa bonum operantis versantur, Passiones nominantur; non quidem propriè, sed metaphoricè. Propriè enim passiones sunt actus appetitus sensitivi de quibus suprà dictum est, quatenus transmutationem perturbativam causant in corpore. operationes autem voluntatis, de quibus agimus, metaphoricè passiones dicuntur, aliquæ quidem ex affinitate, & connexione, quam habent cum actibus appetitus sensitivi. cujus generis sunt eæ operationes, quas voluntas facit circa objecta sensibilia universalia, aut circa sensibilia singularia ab intellectu proposita. quibus actibus voluntas complacet, fugit, desiderat, delectatur, tristatur, & alios actus facit actibus appetitus sensitivi

vi proportione quadàm respondentes, ad quos voluntatis actus consequi solent actus appetitus sensitivi, & per hos pertubatio in corpore. Aliquæ autem voluntatis operationes metaphoricè passiones appellantur ex sola similitudine, quam habent cum passionibus propriè dictis; etiam si differant ab iis in ratione objectorum, quæ sunt spiritualia. Similitudo autem in eo posita est; quòd sicut passiones non spectant bonum alterius, sed proprium: ita hæ voluntatis operationes spectant bona spiritualia ut Bona ipsi operanti: atque ita actus voluntatis circa spiritualia denominari solent nominibus passionum: Amor, Odium, Delectatio: Tristitia, Ira, Spes, &c. Imò hæc nomina extenduntur etiam ad actus voluntatis circa bonum alterius: passionum ergo metaphoricè dictarum duo sunt genera, alterum, quod spectat bonum sensibile operantis; alterum: quod circa ejusdem operantis bonum spirituale versatur. Operationes autem morales, quæ circa bonum alterius versantur, ut sunt actus injustitiæ, commune omni virtutum moralium objecto nomen sibi vindicant ut proprium, dicuntúrque Actiones. (q) atque ita Doctores dicere solent virtutes morales, id est, eas quæ spectant bonum operabile hominis ut homo est, aut circa passiones versari, aut circa actiones. aut enim inclinant ad operandum juxta rectam rationem actus passionum sive propriè, sive impropriè dictarum; quod est rectè operari circa bonum proprium: aut ad rectè operandum circa bonum alterum. utrumque autem bonum medii cujusdam rationem habere diximus in secunda nostra propositione inter defectum & excessum; quod restat explicandum. Maneat

(q) Arist. 2. Eth. 6. 6.

nunc

nunc operationum moralium esse duo genera, nempe passiones metaphoricè dictas, & Actiones.

De mediocritate objecti passionum, & actionum rectarum.

18. (r) Quod bonum operabile, quod est objectum passionum & actionum rectarum, ac proinde virtutum moralium, mediocritatis rationem habeat, sive medii inter excessum, & defectum, Probatur 1. (s) Quia objectum actionum rectarum, ac proinde habituum, qui circa rectas actiones versantur, id est, virtutum moralium, est bonum morale: bonum autem morale est, quod est conforme rectæ rationi. ergo quod difformitatem habet ad rectam rationem, malum moraliter est. oritur autem difformitas aut ex additione materiæ, vel circumstantiæ non debitæ, aut ex defectu materiæ, vel circumstantiæ debitæ. nihil enim est aliud, ex quo difformitas oriri possit. objectum igitur passionum, & actionum rectarum, sive virtutum moralium, medii rationem habet inter excessum, & defectum. 2. Idem probatur inductione. omnium enim virtutum, etiam intellectualium, objectum rationem habet hanc medii. Nam in virtutibus intellectualibus objectum habet rationem veri, quæ est res ipsa cognoscibilis ut est. Non cognoscitur autem ut est, cùm aut aliquid de ea judicatur, quod judicandum non est; quod est excedere: aut aliquid non judicatur, quod judicandum est; quod est deficere. In Prudentia, & Arte, quæ sunt virtutes intellectuales practicæ; objectum habet conformatio-

(r) *Arist. 2. eth. c. 6.* (s) *S. Tho. 1. 2. q. 64. a. 1.*

nem

nem cum appetitu recto. à qua conformitate receditur, cùm Ratio aut imperat aliquid, quod conformiter appetitui recto imperandum non est; aut non imperat, quod imperandum est. quæ sunt excessus quidam, & defectus, ut patet. Actus temperantiæ in cibo tum est rectus, cùm neque plus cibi, neque minus sumitur, quàm convenit sumenti; neque circumstantia indebita additur, finis, temporis, loci, qualitatis, &c. neque demitur debita. Rectus censetur fortitudinis actus, cùm quis neque plus timet, aut fidit, neque minus, quàm decet. Rectus est actus justitiæ, cùm neque deficitur in materia, quæ debet reddi, & in circumstantiis, neque excedítur additione alicujus indebitæ circumstantiæ. Omnis igitur virtutis objectum medii rationem habet inter excessum & defectum. Sed quod attinet ad materiam objecti virtutum moralium differt Ratio medii, quæ est in objecto justitiæ, seu virtutum, quæ versentur circa actiones, ab ea, quæ est in objecto virtutum, quæ versantur circa passiones; quod ratio medii in objecto virtutum, quæ versantur circa passiones, præscribi debet, ac definiri à ratione adhibendo discursum, & expendendo omnes circumstantias, præsertim ipsius operantis. quare contingit ipsam rationem medii pro varietate operantium, temporis, loci, finis, &c. mutari, ac variari. non enim eadem cibi quantitas mediocritatem habet omni tempore, neque in eodem sumente. At ratio medii in materia objecti virtutum, quæ circa actiones versantur, non pendet ex præscriptione rationis, sed ex commensuratione ad rem alterius. Recta enim est secundùm rationem materialem v. g. Redditio depositi, non ex eo quod conformitatem habet ad rationem ita præscribentem; sed ex eo, quod æqualitatẽ facit cum jure, quod alter habet in

su

ſuum depoſitum. quamquam hoc ipſum conformitatem etiam habet cum ratione, quæ dictat reddendum eſſe unicuique ſuum. (*t*) Atque ad hoc diſcrimen indicandum, medium virtutum moralium circa paſſiones appellari ſolet tantum medium rationis; medium autem aliarum virtutum quæ ſunt circa alterum appellatur etiam Medium rei. ex hoc autem diſcrimine oritur aliud, quod juſtitiæ, quæ verſatur circa alterum, opponitur ſolum vitium, quod fit per defectum à medio. peccatum enim per exceſſum, licet peccatum ſit, non tamen eſt contra juſtitiam. quod ſi contingat eſſe, ut cum plus uni, quàm alteri datur, peccatur contra juſtitiam ſolum ex eo, quod dando plus uni, datur alteri minus; quam dari debet. At virtutibus, quæ verſantur circa paſſiones, utrumque vitium opponitur, tum quod per defectum, tum quod per exceſſum contrahitur. Ratio hujus diſcriminis eſt, quod virtuti, quæ verſatur circa medium, ea vitia opponuntur, quæ verſantur circa objecta deſtruentia rationem medii. cum autem medium in virtutibus, quæ ſunt circa paſſiones, præſcribatur á ratione, opponetur ei medio quidquid eſt contra præſcriptionem rationis: eſt autem contra rationis præſcriptionem tum exceſſus, tum defectus. at medio, quod ſumitur à re, non contrariatur id, quod fit per exceſſum, ſed tantum quod per defectum. exceſſus enim, qui additur, non deſtruit quantitatem medii; ſed ea relicta incorrupta, ſuperaddit aliam quantitatem. Porro ſi rationem formalem objecti virtutis moralis ſpectemus, nempe objectum ut virtutis moralis objectum eſt; cujuſque virtutis moralis objectum,

(*t*) *Ariſtot. ſup.*

etiam

etiam justitiæ, medium rationis est; quia ut morale objectum sit: pendere debet à directione rationis, & ejus dictamine, etiam secundum materiam objecti.

Contra doctrinam traditam de Mediocritate objecti virtutum moralium objici potest. 1. Virtutes suscipere possunt magis, & minus ex objecto, circa quod versantur; ut, qui à pluribus ciborum generibus abstinet; temperantior dicitur eo, qui abstinet à paucioribus, ergo objectum virtutis non habet rationem medii. medium enim indivisibile est, quippe quod æquè distat ab extremis. 2. Magnanimitas inclinat ad magnos honores; magnificentia ad magnos sumptus, quibus liberalitatem excedit, ut docet Arist.4.eth.c. 2. & 3. ergo non cujuscunque virtutis moralis objectum mediocritatem habet. 3. Aliqua objecta non licet neque mediocriter attingere, ut Adulterari. ergo non est de ratione objecti virtutis mediocritas. 4. Arist.1.cæl.t.116. ait Potentiam esse definiendam ex fine, seu ultimo excessus, ad quod potest tendere, id est, ex objecto secundùm rationem extremi excedentis. ergo & virtus, quæ se tenet ex parte potentiæ, habet pro objecto, ex quo definiatur, non medium, sed extremum.

Sed non est à communi Philosophorum sententia discedendum, secundum quam generatim scribit Arist.2. eth. c.7. In omnibus mediocritatem esse laudabilem; extrema verò neque recta, neque laudabilia, sed vituperatione digna haberi.

Ad 1. ergo Resp. Medium virtutis moralis non esse medium mathematicum, ac omnino indivisibile, sed morale, quod latitudinem habet; quæ quanta sit, non potest facilè definiri. In hoc autem medio reperitur quiddam indivisibile, æquè distans ab extremis; quod est quid excellentissimum

in

in objecto virtutis, ut autem in qualitatibus, verbi gratia, in calore, licet octavus gradus sit summus, & optimus, ejus tamen nobilitas non facit, quin alii gradus non ita nobiles sint veri gradus caloris; ita illud optimum, quod est in medio virtutum moralium, non facit, quin sit vera virtus ea, quæ recedit ab illo, modo intra medii latitudinem versetur. Bonus ergo est, qui medium attingit, licet possit ex accessu ad illud optimum fieri melior.

Ad 2. Resp. Unamquamque virtutem habere in objecto suam mediocritatem. Potest autem id, quod est extremum respectu unius virtutis, esse medium respectu alterius. Ita magni sumptus habent rationem extremi respectu Liberalitatis; respectu autem magnificentiæ habere possunt rationem medii, quatenus tendit in eos magnificentia neque plus, neque minus, quam oportet; sed quantum oportet pensatis omnibus circumstantiis. ergo id, quod est extremum respectu vnius virtutis, quatenus spectandæ sunt quædam circumstantiæ, quæ illud non exigunt; respectu alterius virtutis est medium quia spectandæ sunt aliæ circumstantiæ quæ illud exigunt.

Ad 3. Resp. Aliqua objecta esse objecta actus fugæ, aliqua actus prosecutionis. Adulterium est objectum fugæ: & ideò ne mediocriter quidem licet illud prosequi. In ipsa autem fuga, ut fiat ex virtute, debet esse mediocritas. fugiendum enim ut oportet, nempe cautè, sine tumultu, &c. omne ergo objectum actus virtuosi mediocritatem habet.

Ad 4. Resp. Extremum ibi sumi ab Aristot. pro summo, ad quod potest tendere potentia, ut ad levandum pondus centum librarum, & secundum hanc extremi acceptionem, illud excellentissimum quod

quod est in medio, ad quod virtus moralis inclinat, extremum appellari potest. ex hoc tamen non sequitur virtutis objectum non habere rationem medii.

Virtutes morales circa voluptates, & tristitias versari.

19. Ex his, quæ hactenus disputata sunt, habetur virtutum moralium objectum esse tum passiones, tum actiones, seu operationes. Cur autem Arist. 2. eth. cap. 3. ait virtutem moralem esse circa voluptates, & dolores? Dicendum virtutes morales dici versari circa voluptates, ac dolores, 1. Quia omnis virtus moralis aut circa bonum aliquod versatur, aut circa malum: circa bonum actu prosecutionis, circa malum actu fugæ. omnis autem actus prosecutionis delectatio quædam est, & actus fugæ tristitia; si delectatio, ac tristitia lata significatione sumantur pro actu, qui suavem sua positione sensum viventi afferat, vel insuavem, ut diximus supra cum de Delectationis, ac Tristitiæ passionibus egimus. 2. Dicuntur virtutes morales versari circa Delectationes, ac dolores, ratione Termini: quia quæcumque aliæ passiones, & actiones terminantur sive ad delectationem, sive ad dolorem: omnis enim passio, & omnis actio vel delectationem, vel dolorem causat in homine, à quo fit: ex quo fit ut homines ad regulam voluptatis, & doloris actiones dirigere soleant, alii magis, alii minus. Probat Arist. ot. virtutis moralis objectum esse delectationes, & tristitias, 1. Quia quoties malè agimus, & præter rationem, id accidit, vel quia ob voluptatem quæ mala sunt, & contraria rationi, appetimus, vel quia ob dolorem, & displicentiam ab iis, quæ honesta sunt, abstinemus. ergo ad virtutem pertinet mali causas arcere, id est, delectationes, ac tristitias moderari.

derari. 2. Quia vitia vel circa fugam doloris, vel circa profecutionem voluptatis verſantur. ergo circa eadem verſantur virtutes vitiis contrariæ, quibus curantur vitia. 3. Quia habitus verſantur circa ea, à quibus gignuntur: at virtutes, ut & vitia, à profecutione voluptatis, & fuga doloris g gnuntur. ergo.

Objectum virtutum habere rationem ardui.

20. Hoc erat ultimum in Propoſ. 2. quod nunc explicandum eſt, objectum virtutum moralium habere rationem ardui, id eſt, omnem virtutem moralem verſari circa arduum. Explicatur, & probatur. Nam omnis virtus moralis verſatur circa actionem rectam: recta autem actio non eſt, quæ non ſit conformis rectæ rationi ſecundùm omnes circumſtantias: conformari autem rectæ rationi ſecundum omnes circumſtantias, res eſt ardua, & difficultatem habens.

III. PROPOSITIO.

De Subjecto virtutum moralium.

Virtutum moralium ſecundùm rationem formalem virtutis acceptarum, ſubjectum ea hominis pars videtur eſſe, quæ ratione prædita eſt. Prudentiæ quidem intellectus, cæterarum virtutum ſedes eſt appetitus rationalis. Quamquam ſunt etiam in appetitu ſenſitivo habitus quidam, qui virtutes morales comitari ſolent; & virtutes morales dici poſſunt, non ut habentes intrinſecè rationem formal m virtutis, (u) *ſed quatènus diſpoſitiones quædam ſunt reſpectu virtutum, quæ ſunt in appetitu rationali, ut pars quædam materialis illarum, & ut participantes directionem rationis.*

(u) S. Th. 1. 2. q. 56. a. 4. 1. Quod

1. Quod virtutes morales propriè dictæ, & quæ secundum rationem formalem virtutes sunt, non in sensu, sed in sola parte hominis rationali subjectentur, ita suadetur. Virtus moralis est habitus inclinans ad actionem rectam, ut supra in 1. & 2. Prop. probatum est. specificatur ergo virtus moralis ab actione recta. Actionis autem rectæ objectum est idem cum objecto prudentiæ. Prudentia enim præscribit unicuique virtuti suum objectum, objectum autem prudentiæ est medium ad finem hominis ut homo est; seu singulare circumstantionatum, ut explicatum est disp. 1. q. 4. & 5. Tale autem objectum est rationale, ut patet; & transcendens limites potentiarum sensitivarum, & earum actuum, & habituum, qui sunt materiales, etiam in homine. ergo non possunt habitus appetitus sensitivi tendere, & inclinare ad tale objectum ut sic, nec ab illo specificari. ergo non in parte hominis sensitiva, sed in rationali, sunt virtutes morales secundum rationem formalem. 2. Æstimatione communi non censetur justus, & temperatus, qui justa, & temperata agit: sed qui justè, & temperatè, id est, sciens, & eligens, & propter ipsa justa, & temperata; habitus autem ad tale objectum inclinans non potest esse habitus sensitivus. 3. Virtus non potest inclinare ad actum neque materialiter malum, ut probatum est supra Prop. 1. at docet experientia habitus, qui sunt in appetitu sensitivo, inclinare indifferenter ad actum bonum, & malum. Nam exempli causa. ex habitu abstinentiæ, qui est in appetitu sensitivo, sentimus facilitatem ad abstinendum, etiam si ob vanam gloriam abstineamus. 4. Arist 6. eth. c. 2. ait virtutem moralem esse habitum electivum, id est, inclinantem ad bonam electionem.

nem. Habitus autem materialis non potest esse electivus. electio enim fertur in objectum rationale, quatenus supponit deliberationem rationis, & judicium de medio præ aliis eligendo in ordine ad finem. 3. Actus, & habitus appetitus sensitivi sunt ejusdem rationis in hominibus, & in brutis. at in brutis non habent rationem virtutis.

2. Quod prudentiæ subjectum sit intellectus, communis est Doctorum sententia cum Arist. 2. eth. ubi prudentia inter intellectuales habitus numeratur & ratione probatur: Nam in eo subjecto est habitus, in quo est actus, à quo habitus producitur. Producitur autem prudentia ex actu imperii, qui essentialiter est actus intellectus, ut diximus disp. 1. q. 4. prop. 1.

3. Quòd ceterarum virtutum moralium sedes non sit intellectus, sed appetitus rationalis eodem modo probatur, quo supra Propos. 2. §. 15. probatum est passionum sedem non esse potentias cognoscitivas, sed appetitum sensitivum.

4. Quod in appetitu sensitivo sint habitus quidam virtutes morales comitantes, & eis respondentes, Probatur. 1. Quia appetitus sensitivus producit suos actus circa objecta sensibilia, tum per se solus, ut in brutis. tum concomitanter cum appetitu rationali: at non est major ratio, cur actus appetitus rationalis relinquant habitum post se, & non relinquant actus appetitus sensitivi. ergo dantur habitus in appetitu sensitivo. 2. Quia experimur ipsum appetitum sensitivum magis proclivem esse ad actus, postquam illos frequentavit, quam prius. ergo signum est fuisse actibus precedentibus relictum habitum.

5. Jam Doctores aliqui hos habitus; qui sunt in appetitu sensitivo, virtutes morales appellare solent.

solent. Quamvis enim secundum rationem formalem virtutes morales non sint, ut suadent rationes allatæ §. 1. negari tamen non potest secundum rationem materialem ad virtutes morales pertinere. Nam quemadmodum materia debitè dispositа, & organica spectat ad essentiam hominis, ut pars materialis illius: quia cum anima rationali componit unum principium operationum, quæ fiunt ab homine. ita illi habitus, qui sunt in appetitu sensitivo respectu operationis rectæ, quæ est objectum virtutum moralium, integrant unum principium cum habitibus eis respondentibus, qui sunt in appetitu rationali. Præterea ut habitus, qui sunt in appetitu rationali, subduntur directioni rationis; ita & hi, qui sunt in appetitu sensitivo. Quare si hi habitus accipiantur præcisè, & secundùm se, non sunt dicendi virtutes morales; ac proinde appetitus sensitivus non potest dici subjectum virtutum moralium, si verò sumantur ut componentes unum principium cum virtutibus, quæ sunt in appetitu rationali, quia totum compositum virtus moralis est; potest appetitus sensitivus dici subjectum virtutum moralium; non quidem omnium, sed earum, quarum natura est moderari passiones: quarum sedes est appetitus sensitivus: quales virtutes sunt Fortitudo, & Temperantia. (x) Porrò quidam Doctores absolutè dicunt subjectum Fortitudinis, ac Temperantiæ esse appetitum sensitivum, An quia effectus harum virtutum, qui est moderatio passionum, fit in appetitu sensitivo? Ibi autem dicitur aliquid esse, ubi operatur: Habitus autem Fortitudinis, & Temperantiæ, qui sunt in appetitu

(x) S. Tho. 1. 2. q. 56. a. 4.

rationali

rationali, effectum moderandi passiones operantur in appetitu sensitivo non solum per se, sed multò magis per habitus, qui sunt in ipso appetitu sensitivo, tanquam per instrumentum proportionatum.

6. Contra hujus propositionis doctrinam objiciet quis 1. Ubi nulla est difficultas ad tendendum in aliquod objectum, non opus est habitu: at appetitus rationalis non habet difficultatem ad tendendum ad proprium bonum: habet autem appetitus sensitivus difficultatem ad tendendum ad bonum conforme rationi, ergo in appetitu sensitivo ponendus est habitus virtutum moralium, non in voluntate. 2. Appetitus sensitivus in homine participat rationem, quatenus capax est imperii rationis quo ad suos actus, ergo habitus, qui sunt in appetitu sensitivo quatenus inclinant ad actus subordinatos rationi, eique conformes, & quatenus etiam disponunt ad bonam electionem tollendo inclinationes vitiosas, à quibus depravari solet electio; sunt habitus virtutis. 3. Arist. 1. eth. c. ult. & 3. eth. c. 10. ait virtutes morales esse in parte irrationali. Pars autem irrationalis est appetitus sensitivus.

Sed nostra sententia est Scoti in 3. d. 33. q. unica, Bonau. ead. dist. ar. unico q. 3. Richard. ibid. ar. 1. q. 1. & colligitur ex Arist. 2. eth. c. 4. qui negat justos, & temperantes dici debere eos, qui justa agunt, & temperata; sed eos, qui justè agunt, & temperatè, vult autem juste, & temperate agere, id est, ex virtute, ac secundùm virtutem, eum, qui sciens agat, & eligens, ac propter ipsa justa, ac temperata. Agere autem hoc modo non spectat ad sensum, qui non regulatur cognitione electiva, & ordinante unum ad aliud, ergo ex Arist. virtutes secundùm rationem formalem non sunt, nisi in appetitu rationali.

Ad

Ad 1. Resp. Voluntatem esse appetitum universalem, ac proinde inclinantem non solum ad bonum honestum, & rationis, sed etiam ad bonum sensus, ad bonum delectabile, ac utile. Quare potest contingere ut proposito bono sensus, habeat difficultatem ad avertendum se ab illo, cum illud est contra rationem. Indiget ergo etiam voluntas habitu virtutis. Adde, quòd habitus non solum dantur ad vincendas difficultates, sed ad habendam etiam majorem facilitatem; quod est quædam perfectio operantis. Præterea quæ major ratio ut actus appetitus rationalis circa bonum alterius relinquant habitum post se; & non relinquant habitum actus, qui ab eodem appetitu fiunt circa bonum proprium?

Ad 2. Resp. Hoc argumento nihil aliud probari, quàm habitus appetitus sensitivi esse virtutes denominativè, ac extrinsecè, denominatione accepta ab actibus rationis, & appetitus rationalis, quibus subordinantur, & ad quos disponunt; seu esse virtutes secundùm rationem materialem. secundùm autem rationem formalem, ac extrinsecè non sunt virtutes, sed habitus quidam indifferentes. Possunt enim tum ad actus virtuosos, tum ad vitiosos inclinare; ut cum fit actus temperantiæ propter inanem gloriam.

Ad 3. Resp. (y) Per partem irrationalem non intelligi ab Arist. absolutè appetitum sensitivum, sed simpliciter appetitum, ut is opponitur Rationi: quia 1. eth. c. ult. in fi. ait virtutem secundùm illas duas partes distingui, ut aliæ sint intellectivæ, aliæ morales; sapientiam, perspicaciam, prudentiam

(y) S. Tho. 1. 2. q. 56. a. 6. ad. 2.

ait

ait esse intellectivas; liberalitatem, & temperantiam morales: at liberalitas non potest esse in appetitu sensitivo, & justitia numeratur ab Arist. inter virtutes morales: at omnium consensu ea est in appetitu rationali. Quare si qua ratione Arist. innuit habitus, qui sunt in appetitu sensitivo, esse virtutes, loquitur non de virtute secundùm rationem formalem, sed de virtute secundùm rationem materialem, quatenus est in appetitu, qui aliquo modo obedit rationi.

IV. PROPOSITIO.

De causa virtutum moralium efficiente, ac finali.

Immediatum virtutum moralium efficiens sunt actus conformes rationi rectæ. Finis autem est actio recta, & felicitas hominis.

1. Quod virtutes morales immediatè producantur ab actibus, probat Arist. 2. eth. c. 1. ac simul docet eas non haberi à natura nobiscum congenitas, ut habentur potentiæ. 1. Quia virtutes morales assuetudine, hoc est, per frequentatos actus acquirimus, ut docet experientia. 2. Quia nihil potest contra id, quod habet à natura, assuescere; ut lapis non potest assuescere ferri sursum, etiam si millies sursum projiciatur: at assueseimus vitiis, quæ sunt virtutibus contraria, frequentando actus virtutibus contrarios. Principium porrò remotum virtutum moralium est ipsa natura. (x) Habe-

(x) *Arist. 2. eth. c. 1. S. Tho. 1. 2. q. 63. a. 1. & a. 2. ad 3.*

mus

mus enim à natura aptitudinem ad recte operandum; tum quatenus intellectus inclinat ad verum practicum, quæ inclinatio Recta ratio appellatur; tum quatenus voluntas, ut appetitus rationalis est, ex natura sua propendet ad bonum honestum conforme rectæ rationi.

2. Finis virtutum moralium proximus est Actio recta, quia disponunt & inclinant ad actionem rectam. Finis autem remotus est hominis felicitas, quatenus per actionem rectam felicitas hominis tum activa, tum contemplativa acquiritur ut in hujus disputationis Proœmio dictum est.

V. PROPOSITIO.

De virtutum moralium divisione, ac generibus.

Virtutum moralium duo sunt prima genera, alterum earum, quæ circa Passiones, alterum earum quæ circa Actiones versantur.

1. VIrtutes aliæ intellectuales, aliæ morales: quatenus aliæ intellectum, aliæ appetitum afficiunt. De intellectualibus egimus d.1. q.4. ubi eas cum Arist. divisimus in quinque genera, Intellectum, Scientiam, Sapientiam, Prudentiam, Artem. nunc de virtutum moralium generibus agimus: quarum prima genera duo sunt, pro duplici genere actuum rectorum, ad quos inclinant. Dividuntur autem actus humani recti in duo genera ex respectu ad duplex objectum, nempe vel ad ipsum agentem, vel ad alterum. Actus, qui agentem respiciunt, seu bonum illius, Passiones appellantur, late sumpto Passionum nomine, ut explicatum est supra Prop. 2. §.17. Actus autem qui respiciunt bonum alterius,

rius, nominantur Actiones, seu operationes. (a) Quare virtutum moralium aliæ sunt, quæ circa passiones, aliæ, quæ circa actiones versantur, ut circa materiam.

VI. PROPOSITIO.

Virtutum, quæ circa passiones, seu bonum ipsius operantis, versantur, plura sunt genera, Temperantia, Philotimia, Magnanimitas, Fortitudo, Mansuetudo. Circa actiones autem, seu bonum alterius, Justitia, Religio, Pietas, Observantia, Gratitudo. Quædam ad utrumque genus spectant tum virtutum, quæ circa passiones, tum quæ circa actiones versantur, quia duplicem respectum habent, alterum ad bonum ipsius operantis, quatenus eius passiones moderantur; alterum ad bonum alterius. eæ sunt, Veritas, Vindicatio, Liberalitas, Magnificentia, Amicitia, Eutrapelia. (b) *Prudentia quoque, licèt intellectualis virtus propriè sit, inter virtutes morales numeranda est, quia eius obiectum est actio recta. Cum autem ipsa peculiare genus sit virtutum moralium, spectat etiam ad cætera earum genera, quatenus dirigit, ac imperat actiones singularum. In his autem virtutibus præcipuè, quæ proinde Cardinales appellantur, sunt quatuor, Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia.*

1. VT ea, quæ in hac Propositione dicuntur, melius intelligantur, sciendum est, ab actibus specie distinctis produci habitus specie distinctos. Probatur 1. Quia alioquin sequeretur habitum virtutis posse produci ab actu moraliter malo. Diversi-

(a) *S. Tho. 1. 2. q. 60. a. 2.* (b) *S. Th. 2. 2. q. 47. ar. 4.*

tas enim specifica in actibus pendet non solùm à materia objecti, sed etiam à circumstantiis. potest autè contingere ut aliqua circumstantia non sit conformis rectæ rationi; ac proinde actus sit malus. Is ergo actus producet habitū virtutis, ut produxisset si circumstantia illa fuisset conformis rectæ rationi. Non est enim major ratio, cur non possint actus diversi specie ob diversas circumstantias, producere eumdē habitum, non producant eumdē cum aliqua circumstantia non est conformis rectæ rationi, producant autem cùm omnes sunt conformes rectæ rationi. At si ponamus virtutis habitū produci ab actu malo, sequeretur virtutis habitum posse inclinare ad actum malum, nempe ad actum ejusdem speciei cum actu malo, à quo productus est. Diximus autem hoc fieri non posse, suprà Propos. 1. ergo fieri non potest ut idem habitus producatur ab actibus specie distinctis. Actus igitur specie distincti producent habitus specie distinctos. 1. Id suadet experientia: experimur enim difficultatem aliquam cùm formandus est actus distinctus specie, etiam si ad actus non valdè dissimiles habeamus maximam facilitatem. ergo signum est eos actus non produxisse habitum ejusdem speciei cum habitu, qui ab hoc actu alterius speciei potest produci. Si enim esset habitus ejusdem speciei, omnino inclinaret ad hunc actum, ac proinde eandem facilitatem sentiremus in eo formando, quam in prioribus sentiebamus. Quod si interdum contingit major facilitas in formando hoc secundo actu, quam sentiretur si non esset acquisitus ullus habitus per priores actus diversos specie: ea major facilitas non oritur ex eo, quòd habitus per priores actus productus influit in hunc secundum actum specie à prioribus distinctum; sed tum ex remotione impedimenti, nempe

nempe habitus alicujus vitiosi, qui expulsus est per introductionem prioris habitus boni; tum ex motione,& excitatione, quam facit per actum proprium prior habitus; per quem actum excitatur voluntas accedente cognitione intellectus circa objectum secundi actus,ad secundum actum formandum, tum ex habitibus indifferentibus comproductis in appetitu sensitivo per actus appetitus sensitivi formatos simul cum actibus appetitus rationalis; qui habitus sensitivi inclinando ad actum sensitivum, qui fit simul cum secundo actu appetitus rationalis, de quo loquimur, removet eam difficultatem, quam afferret voluntati sensus, si illum indifferentem habitum non haberet.

2. Ex his colligitur illa virtutum moralium genera,quæ in Propositione numerantur,habere sub se plures species pro actuum pluralitate distincto. rum specie, quatenus versantur circa objecta specie distincta. Dices ; Ex hac doctrina sequeretur etiam prudentiam, quæ est circa bonum particulare operantis, habere sub se plures species,pro pluralitate obiectorum particularium: at d. 1.q.4 prop. 8. diximus eam prudentiam esse speciem ultimam. Respon. Has divisiones virtutum moralium in genera, & species, esse accommodationes quasdam factas à philosophis ad facilitatem doctrinæ. Sumitur autem accommodata distinctio ex diversitate difficultatis in operando actiones rectas. Quare ad determinandam speciem ultimam, non attenditur specificatio habitus, quæ sumitur ab actu specie distincto; sed aliqua ultima notabilis difficultas in operando, quæ tollatur per habitum. Jam ad operandum prudenter circa bonum particulare operantis , una tantùm apparet notabilis difficultas, ut in Prop.8,citata explicatum est;ideo dictum

ibi est eam prudentiam esse speciem ultimam. Porro ex hac ratione notabilis difficultatis intelligitur qua ratione distinguenda sint, & determinanda ad facilitatem doctrinæ genera, & species ultimæ in virtutibus moralibus. ubi enim est tanta connexio difficultatum in formandis actibus, ut superata unius actus difficultate, facilè superetur difficultas alterius actus ex eo, quòd unus actus excitat animam ad formandum alium (quod accidere solet cum objecta unitatem aliquam habent inter se) dicendum est per accommodationem virtutes ad eos actus inclinantes esse unius speciei ultimæ, licèt verè à parte rei sint diversæ speciei ob actus diversos specie, circa quos versantur, & à quibus productæ sunt, ut dictum est §. 1. Ita una specie virtus dicenda est versari circa passiones amoris, desiderii, delectationis, versantes circa idem objectum; eandemque specie virtutem moderari passiones his contrarias, nempe odium, abominationem, tristitiam. una enim ex his passionibus facilè excitat animum ad aliam quia sunt circa idem objectum; ut consequentis passionis productio videatur ab eodem specie habitu pendere, qui inclinavit ad productionem passionis præcedentis. ubi autem est valdè notabilis diversitas difficultatis, aut objecta valdè diversa sunt, etiam si difficultas non habeat magnam diversitatem, distinguenda sunt diversa virtutum genera; ut distinximus in propositione. cujus distinctionis ratio explicabitur cùm de singulis virtutibus agemus. Ex his autem, quæ hactenus dicta sunt, colligitur diversos specie habitus esse, qui producuntur ab actibus, qui suo exercitio moderantur passiones actu insurgentes contra rationem, ab iis habitibus, qui relinquuntur ex actibus, quibus appetitur moderatio

passionum;

passionum: quia actus producentes eos habitus sunt inter se diversi: alius enim actus specie est Moderari v. g. Iram, alius velle moderari iram. Actus enim moderandi specificatur ab objecto nempe Ira præsente ut præsens est. Ratio autem præsentiæ non est in alio actu. Confirmatur, quia ratio absentiæ, & præsentiæ diversificat diversas passiones, nempe desiderium, & delectationem circa bonum: ergo hæ rationes diversificant actus voluntatis. Quare in Angelis, licèt sit virtus, qua Angeli inclinant ad volendum frænationem delectationum tactûs; ea tamen virtus non est eadem cum virtute, qua homo inclinat ad ipsam frænationem delectationum tactûs, quæ est virtus temperantiæ.

3. Quod de Prudentia dicimus eam spectare non solùm ad virtutes intellectuales, sed etiam ad Morales, intelligitur ex iis, quæ de Prudentia disputata sunt d. 1. q. 4. Advertendum autem est, quamvis Prudentia sit virtus moralis, magis tamen propriè esse intellectualem. Nam quòd prudentia sit virtus intellectualis, habet & ex proprio subjecto, nempe intellectu; & ex proprio, ac immediato suo objecto formali, nempe ex agibili, quatenus hoc per conformitatem cum appetitu recto est formaliter verum. Quòd autem sit virtus moralis, habet quasi ab extrinseco quatenus ab appetitu recto per inclinationes moralium virtutum movetur, & excitatur intellectus, ut per prudentiam consectetur deliberando, & imperando bonum agibile appetitui recto consentaneum; ut explicatum est sup. d. 1. q. 4.

4. Quod ad virtutes Cardinales attinet, sciendum est quatuor illas virtutes, Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, Temperantiam, duobus modis considerari posse. 1. (c) Secundùm principium formale

(c) S. Th. 1, 2. q. 61. ar. 2.

virtutis, à quo virtus moralis specificatur; quod est actio recta, seu bonum morale. Ad hoc bonum duobus modis homo inclinare potest per habitus virtutis, nempe vel cognoscendo, vel appetendo. Rursum hoc bonum aut est operatio, aut passio. Passio autem, ut sit bona rationi, debet esse talis, ut neque impellat ad contrarium rationi, neque retrahat ab eo, quod ratio dictat. Jam habitus inclinans ad actionem rectam cognoscendo, est Prudentia; inclinans ad operationem, seu actionem erga alios, est justitia; habitus reprimens passionem, est Temperantia; habitus firmans hominem ne recedat ab eo, quod est rationis, est Fortitudo. Illæ ergo quatuor virtutes Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia, secundùm has quatuor communes rationes formales sumptæ, Cardinales, & principales appellantur, id est, generales: quia omnes virtutes sub illis quatuor rationibus, ut sub primis generibus ponuntur. 2. (d) Considerari possunt illæ quatuor virtutes ut circa peculiares actus principaliter versantur. ut Prudentia, non circa consilium, & judicium principaliter, sed circa imperium versatur, ut dictum est suprà d. 1. q. 4. Prop. 1. Justitia circa actionem in commutationibus, vel distributionibus, quæ sunt ad alterum cum æqualitate. Temperantia circa fræna-tionem delectationum tactus, ut maximè difficilium ad reprimendum. Fortitudo circa cohibitionem timoris in periculis mortis, contra quæ difficillimum est stare. Hoc modo hæ quatuor virtutes non sunt generales, ut diximus esse secundùm primam consideracionem, sed speciales ab aliis distinctæ. Dicuntur tamen Cardinales, ac præcipuæ ratione

(d) S. Tho. sup. ar. 3.

materiæ,

materiæ, seu objectorum, circa quæ versantur, quæ sunt in objectis virtutum moralium præcipua. (e) Porro advertendum est appellari solere Prudentiam rectitudinem discretionis in quibuscumq; actibus; Justitiam, eam animi rectitudinem, qua homo operatur quod debet in quacumq; materia; Fortitudinem, eam dispositionem, qua firmatur animus contra omnes passiones, ac labores; Temperantiam, eam animi dispositionem, quæ modum quibuscumque passionibus, vel operationibus imponit, ne ultra debitum efferantur. Sed licet rectitudo rationis ad solam Prudentiam spectet; tres tamen reliquæ rationes non constituunt distinctas virtutes; sed simul omnes cuicumque trium reliquarum virtutum cardinalium conveniunt. unaquæque enim illarum quatenus habitus est, firmitatem animo tribuit; quatenus virtus, disponit animum ad agendum, quod agi debet; quatenus moralis, inclinat ad servandum modum rationis. Ita unaquæque est tum Fortitudo, tum Justitia, tum Temperantia. Quare ad distinguendas virtutes Cardinales non hæ generales rationes sumendæ sunt, sed aliæ; quas paulò superiùs explicavimus.

VII. PROPOSITIO.

De Connexione Virtutum moralium

Proprium est virtutum Moralium, ut sunt in perfecto statu, connexionem habere inter se; ut nulla perfectum statum habere queat sine societate cæterarum.

1. HActenus de virtutum moralium ratione formali, objecto, subjecto, efficiente, generibus

(e) *S. Tho. sup. ar.* 4.

dictum est: nunc de Proprietatibus agendum, quod erat ultimum principio propositum ad disputandum. Præcipua autem virtutum moralium proprietas est, versari in medio; de qua suprà egimus. nunc agemus de earum connexione, æqualitate, duratione.

Ac primùm dicimus virtutes morales in statu perfecto connexionem habere inter se. Duobus enim modis quælibet virtus moralis considerari potest, nempe vel secundùm essentiam, vel secundùm statum perfectum. Status perfectus virtutis moralis est, ut ob nullam difficultatem, sive ex propria, sive ex extranea materia illa proveniat, à suo munere deficiat. quod est rectè se habere circa rationem formalem sui objecti, & immutabiliter, ac certo circa illam in quolibet casu versari. virtus moralis secundùm essentiam potest esse sine societate aliarum: in statu autem perfecto non potest. Hoc posterius ita probatur: (*f*) Ut aliqua virtus moralis sit ita perfecta, ut in nullo casu deficiat à recta actione, debet in intellectu esse perfecta prudentia, quæ in quolibet casu sciat consiliari, ac imperare quod rectum est: at perfecta prudentia ita explicata pendet à recta dispositione appetitus rationalis; (*g*) quia, ut docet experientia, unusquisque judicare solet de rebus agendis, prout in se dispositus est: recta autem dispositio appetitus rationalis ad omne agibile habetur ex positione omnium virtutum moralium. Ut ergo aliqua virtus moralis sit in statu perfecto, debet esse conjuncta cum cæteris. Præterea qui inordinatè fertur aliqua passione circa unam materiam, difficile

(*f*) *S.Th.1,2.q.65.ar.1.* (*g*) *Arist.3.eth.c.4.*

est

est ut non interdum inordinatè feratur eadem passione circa aliam materiam, ut ergo circa unam materiam semper ordinatè feratur, debet ordinatè ferri ea passione circa omnem materiam. Ferri autem ordinatè circa omnem materiam non potest qui non est bene dispositus secundùm omnes virtutes.

Sed contra 1. Si omnes virtutes morales essent inter se connexæ, sequeretur non posse produci unam, nisi simul producerentur cæteræ; at videtur fieri nullo modo posse ut per unum actum producantur omnes virtutes. 2. Multi censentur perfectè probi, & tamen carent aliqua virtute v. g. Magnificentia, si sint (*h*) inopes. ergo virtutes morales neque in statu perfecto sunt connexæ. 3. Virtutes intellectuales, quæ perficiunt intellectum, non sunt connexæ, ut patet. ergo neque morales, quæ perficiunt appetitum.

Sed nostra sententia est Aristot. 6. ethic. c. 12. & 13. quem sequitur S. Thom. 1. 2. q. 65. art. 1. (*i*) & alii Scholastici, ac patres.

Ad 1. Resp. Productionem unius virtutis in statu perfecto supponere comproductionem aliarum virtutum. ut autem unaquæque virtus secundùm essentiam diversa est ab alia, ita unaquæque producitur ab actu diverso. quare non est necessarium, ut per unum actum producantur simul omnes virtutes, oportet autem exerceri circa omnium virtutum materias bene operando, ut acquirantur omnium virtutum habitus, atque ita singulæ sint in statu perfecto, qui supponit coexistentiam reliquarum.

Ad 2. Resp. (*k*) Cum de perfecto statu virtutis

(h) *Arist. 4. eth. c. 2.* (i) *vid. apud Valen. 1. 2. d. 5. q. 7. p. 2.* (k) *S. Th. 1. 2. q. 65. a. 1. ad 1.*

loquimur, intelliginus de eo statu, qui communiter contingit esse in hominibus, is autem status non requirit necessariò conjunctionem cum quibusdam virtutibus, quæ competunt eminenti cuidam statui: quales sunt Magnificentia, & Magnanimitas. Requiritur tamen in communi illo statu, ut sit ea dispositio in affectu, ut per hominem non stet, quo minus in illis etiam virtutibus status eminentioris se exerceat, si suppetat materia. Habetur autem ea dispositio per habitus virtutum similium, ut per habitum liberalitatis habetur dispositio ad Magnificentiam. Facilè enim acquirere potest Magnificentiam qui liberalis est. & secundùm hanc rationem dici potest liberalis magnificentiam habere. Idem enim habere dicimur, quod in promptu est ut habeamus.

Ad 3. Resp. (*l*) Virtutes intellectuales, quæ versantur circa conclusiones, habere dependentiam ab habitu principiorum, & connexionem cum illo: quia omnia intelligibilia ordinem habent ad prima principia. Habitus tamen principiorum non dependet ab habitu conclusionum. At virtutes morales dependent à Prudentia, & hæc à virtutibus moralibus, ut suprà explicatum est. Ideo virtutes intellectuales non habent connexionem inter se, ut habent virtutes morales.

De virtutum moralium æqualitate.

Videndum est an sit majoritas, & minoritas in virtutibus moralibus. Quod pluribus modis considerari potest. 1. Comparando virtutes inter se quo ad

---

(*l*) *S. Thom. ibid. ad 3.*

nobilitat. tu. 2. Comparando eandem virtutem ad seipsam quo ad inclinationem ad objectum, seu quo ad extensionem: Num eadem virtus semper æquè pateat, an interdum quoad ipsius objecta latius se extendat. 3. Comparando eandem virtutem ad seipsam quo ad intensionem; num eandem semper intensionem habeat.

VIII. PROPOSITIO.

Virtutes morales, secundùm nobilitatem inæquales inter se sunt: secundùm autem extensionem, & intensionem, diverso respectu æquales, et inæquales possunt esse.

(m) SI nobilitatem in virtutibus moralibus spectes intrinsecam, & essentialem; illæ non sunt æquales inter se. Provenit enim ea nobilitas ex participatione rationis. non omnes autem virtutes æquè rationem participant. Ideo non omnes pares in nobilitate sunt: Quare Prudentia præfertur aliis virtutibus, quia maximè rationem participat: secundum autem locum nobilitatis obtinet Justitia, ob eandem rationem (n) Si verò extensionem virtutum moralium consideres: quælibet virtus moralis quatenus est in statu imperfecto susceptiva est majoritatis quoad extensionem. non enim statim ac incipit, extendere se potest ad omnes partes sui objecti: quia nec habet omnes partes ipsi debitas, quippe quæ à paucis actibus est producta, qui vero sati fuerunt circa paucas partes objecti totalis, nec habet Prudentiam perfectam, à qua dirigi possit in omnes sui objecti materias, & circumstantias.

(m) *S. Th. 1. 2. q. 66. a. 3. & 4.* (n) *S. Thom. ibid.* a 1.

In

In statu autem perfecto videtur quidem non recipere majoritatem quoad extensionem: quia in eo statu ponitur societas aliarum virtutum, ac in primis Prudentiæ perfectæ, quæ dirigere potest virtutes alias circa omnes ipsarum materias: quare circa omnes materias cujuscumque virtutis appetitus rationalis facilitatem sentit. Revera tamen illa facilitas non semper oritur ex peculiari habitu ad illam materiam inclinante, circa quam sentitur facilitas: quia accidere potest ut nunquam alias actus fuerit actus circa illam materiam, à quo produci potuerit habitus: sed oritur ex appetitu rationali, qui quatenus per alios habitus est rectè dispositus, & excitatur per actus illorum habituum ad materiam eis similem, circa quas illi actus versantur, sentit facilitatem in formando actu circa materiam affinem, & similem, ac spectantem ad objectum totale. Quare re vera etiam in statu perfecto virtutes morales recipere possunt majoritatem, quo ad extensionem, etiam si non videantur suscipere. Ex quo intelligitur in statu perfecto virtutes morales videri quidem æquales, revera tamen posse esse inæquales quo ad extensionem, tum ad alias virtutes comparatas eodem tempore, tum ad seipsas diverso tempore. Ad extensionem virtutum moralium videtur attinere latitudo illa, quæ est in medio, circa quod singulæ versantur. Cùm autem contingat modò ob meliorem naturæ dispositionem, modò ob majorem judicii perspicaciam, modò ob majorem assuetudinem, aut ob alias causas, magis ab uno quàm ab alio, & ab eodem magis, ac magis accedi ad medium illius latitudinis: inde fit, ut etiam respectu hujus latitudinis virtutes morales & in diversis, & in eodem subjecto possint esse inæquales quoad

ad extensionem. Quo ad intensionem autem, si id in virtutibus moralibus spectes, quod est ipsis quasi formale, nempe prudentiam, à qua diriguntur; (o) omnes virtutes in eodem subjecto æquales inter se sunt, quia eamdem prudentiæ intensionem habent. Si verò spectes id, quod est ipsis quasi materiale, id est, intrinsecam cujusque virtutis entitatem, possunt inæquales esse quo ad intensionem, sive singulas cum aliis conferas eodem tempore, sive ad seipsas diverso tempore. oritur enim majoritas intensionis ex actuum frequentatione, qui magis interdum frequentantur ab una, quam ab alia virtute, indéque oritur inæqualitas.

IX. PROPOSITIO.

De Duratione Virtutum Moralium.

Virtutes morales semel acquisitæ, si non accedat vitium contrarium, à quo expellantur, perseverant etiam in anima separata.

HÆc propositio probatur ex eo, quòd omne, quod corrumpitur, aut per ablationem subjecti corrumpitur, aut per remotionem causæ efficientis conservantis, & influentis in illud. virtutum moralium subjectum est anima rationalis, ut supra dictum est, quæ semper perseverat: Causa efficiens conservans virtutes morales videtur nulla esse, præter Deum, qui ut inductione colligitur, nihil desinit conservare, nisi ad positionem alterius incompossibilis. Respectu autem virtutum moralium non apparet aliud incompossibile, præter vitia virtutibus contraria. Quare non desinunt virtutes morales, nisi ad positionem vitiorum contrariorum.

(o) S. *Thom. sup. a.* 2. Hacte-

Hactenus de virtutibus moralibus in communi: de Justitia, Fortitudine, Temperantia deinceps agendum est.

QUÆSTIO SECUNDA:

De Justitia.

Cum virtutum moralium duo sint prima genera, ut supra dictum est q. 1. Prop. 5. alterum earum, quæ circa actiones, alterum earum, quæ circa passiones versantur: incipimus de primo genere agere, in quo præcipua est Justitia, ad quam dicunt analogiam cæteræ virtutes, quæ sunt ad alterum. Agemus autem de iis, quæ à Philosophis moralibus agi, solent: cetera quæ ad hoc genus virtutum spectant, rejicimus ad sacram Theologiam. Dicemus autem de Justitiæ nomine, objecto, ratione formali, generibus, virtutibus justitiæ affinibus, vitiis contrariis, subjecto.

PRIMA PROPOSITIO:

De Justitiæ, ac juris nomine.

(a) *Justicia dicitur tum habitus, tum etiam actus faciens justum: Justum autem, sive Jus, dicitur æqualitas unius cum altero.*

1. Quod Justitiæ nomen tum de habitu, tum de actu dicatur, qui facit justum, probatur ex communi loquendi more. videtur autem justitiæ

(a) *Arist. 5. eth. c. 4.*

nomen

nomen dici à Justo. Quare ex variis Justi significationibus variæ nominis Justitiæ significationes colliguntur. Justum autem, sive (*b*) vocis concisione, Jus, est æqualitas unius cum altero. Fit autem æqualitas conformando unum alteri, quod se habet ut regula respectu alterius. Triplex autem est regula, cui actiones humanæ conformari debent, nempè ratio ipsa, quæ est in quolibet homine; lex superioris, & bonum particulare cujusque proprium. Triplicem enim respectum habet quilibet homo, unum ad dictamen rationis; aliud ad bonum commune, quia quilibet pars communitatis est; tertium ad particulares homines ut ad compartes. Pro hoc triplici respectu ut homo rectè se habeat, triplicem, quam diximus, regulam habet; & actiones suas huic triplici regulæ conformans triplex Justum exercet; à quo Justitiæ nomen sumit habitus, qui ad illud inclinat. Jam, quia justum dicit æqualitatem unius cum altero, non potest esse ratio justi ubi non est alteritas, seu distinctio unius ab altero. ubi autem est major ratio alteritatis, ibi est major ratio Justi, & habitus ad id justum inclinans habet majorem rationem Justitiæ. Ex his intelligitur cujuscumque virtutis habitum posse Justitiam appellari, quia cujuscumque virtutis habitus inclinat ad conformandum actionem cum ratione recta & ad æqualitatem faciendam actionis cum ipsa ratione. Sed quia ratio non habet perfectam alteritatem ab actione; quia & ratio, & actio sunt ejusdem personæ: ideo habitus ad eam æqualitatem inclinans non habet perfectam rationem Justitiæ; ac proinde minus propriè Justitiæ nomen habet. Quia

(*b*) *Sot. l. 3. de just. & jur. q. 1. a. 1.*

verò

verò inter particulares homines, & communitatem, sive inter inferiorem, & superiorem, & inter ipsos homines singulares est vera alteritas: ideo propriè quoque Justitia est tum habitus inclinans ad æqualitatem faciendam cum lege propter bonum commune, sive cum ipsa communitate, tum inclinans ad æqualitatem faciendam cum altero singulari. Sed magis propriè justitia est, quæ facit æqualitatem cum altero singulari, quam quæ facit cum communitate sive superiore, ut superior est; quia major alteritas est inter duos singulares, quam inter totum, & partem, superiorem & inferiorem. Pars enim est aliquod totius, & inferior aliquid superioris. Pars autem respectu alterius partis omnino alterum quid ab illa est Præterea materia justitiæ, quæ bonum commune spectat, solet esse actio cuiuscumque virtutis; quia lex, quæ est eius justitiæ regula, cujuscumque virtutis actiones præcipere solet propter bonum commune: at materia justitiæ, quæ est ad alterum singularem, non spectat ad aliam virtutem, præter justitiam. Quare, cum habitus inclinans ad æqualitatem faciendam cum altero singulari, pura justitia sit, ei maximè propriè justitiæ nomen competit. Nos in hac quæstione agimus de justitia secundùm 2. & 3. significationem.

2. Porrò à prima, & maximè propria juris significatione, pro æqualitate unius cum altero, multæ aliæ iuris acceptiones derivatæ sunt. Solet enim ius dici (c) quidquid bonum, & æquum est, & (d) quid,

(c) *Paul. Juris. in l. jus ff. de just. & iur.*
(d) *Aristot. 5. eth. c. 1.*

quid

quid legi cuicumque conforme, seu legitimum; & legitima facultas acquirendi, faciendi, possidendi, alienandi; & (e) Judicis sententia; & (f) locus, ubi sententia dicitur; & lex, id est, dictamen Prudentiæ aut naturale, aut in habente authoritatem ad ferendas humanas leges, quod dictamen est norma, seu regula boni, & justi; & (g) ipsa legum seu iuris scientia; & exigentia iusti, quæ est in altero respectu alterius, quæ haberi solet ex lege aliqua, cuius generis exigentia est ratio dominii.

II. PROPOSITIO.

De objecto Justitiæ.

Justitia, ut à ceteris virtutibus distinguitur, objectum, est Justum; seu Jus. est autem ius, æquale quid, alteri debitum.

Quòd iustum sit objectum iustitiæ probatur 1. ex Arist. 5. eth. c. 1. qui ait: *Videmus omnes eiusmodi habitum appellare iustitiam solere, ex quo ad agendas res iustas homines idonei efficiuntur.* & c. 5. *Justitia*, inquit, *est, qua iustus dicitur iusti operator ex electione.* 2. Ratione, Quia illud est objectum in unaquaque virtute, quod habet rationem medii inter excessum, & defectum in ea materia, in qua ea virtus versatur: (h) in materia iustitiæ, cuius actiones sunt circa alterum, ratio medii est, ut agens neq; plus sibi tribuat, quam debet neq; quic-

(e) Paul. Jurisc. sup. (f) Idem. (g) Ulp. in l. juri ff. de iust. & jur. (h) Arist. 5. eth. c. 3. & 4.

quam

quam alteri detrahat ex eo, quod ei debeter: quod est æquum, seu justum facere, ergo id justum est objectum justitiæ.

III. PROPOSITIO.

De Divisione Juris.

Jus, quod est objectum justitiæ, multis modis dividi potest. 1. In legale, seu legitimum, & particulare, seu privatum. 2. In Naturale, & Positivum. 3. In proportionem habens arithmeticam, & in habens proportionem Geometricam. 4. In æquale simpliciter, & secundùm quid.

1. IN jure duo considerari possunt, & quod est alteri debitum, & quod est quid æquale, per quod scilicet alter alteri secundum humanam æstimationem justè exæquatur. Duæ priores divisiones cadunt in jus ut consideratur ut debitum, duæ posteriores in jus ut consideratur ut æquale. Debitum autem oritur aut ex lege, aut ex pacto.

2. Jus legitimum est, quod est lege definitum. Lex autem est rectum rationis practicæ decretum à superiore sufficienter sancitum, & constitutum, ut ex ejus vi debeat necessariò modus aliquis sive in re, sive in actione propter commune bonum adhiberi. Jus particulare est, quod non ex aliqua communi lege, sed ex particulari pacto, & conventione aliquorum determinatum est. ut quando duo inter se paciscuntur de alicujus rei pretio, quod neque lege constitutum sit, neque legi contrarium, & illud æstimant rei esse æquale.

3. (i) Jus naturale est, quod est naturali lege

(i) *S.Tho.2.2.q.57.a.2.* deter-

determinatum, nempe secundùm ipsam naturam rerum: ut ab accipiente mutuo ab altero tria, esse tria reddenda. Jus Positivum est, quod est debitum non ex natura rei, seu lege naturali, sed aliqua alia lege, quæ illud debitum ponit, ut lege civili. tale justum est inter res venales; & pecuniam, cum civili lege taxatur pretium, quo vendi res aliqua debet. Si porrò jus non pro justo, quod est objectum justitiæ, sed pro lege sumamus, dividitur universali divisione duobus modis, In divinum, & humanum; In naturale, gentium, & civile. Jus, seu lex divina complectitur tum legem naturalem, quæ rerum naturæ à Deo sunt; tum quamcumque legem positivam immediatè à Deo latam. (k) Jus humanum propriè est rectum decretum rationis, convenienter legi naturali, & æternæ per ratiocinationem aliquam probabilem ab habente publicam authoritatem sancitum, præscribens aliquid, quod sit à subditis necessariò servandum. Jus naturale complectitur ea omnia rationis dictamina, quæ sunt evidenter nota sive per se, sive per consequentiam ex per se notis: sive ea dictamina sint circa ea, quæ sunt hominibus cum brutis communia, sive circa ea, quæ sunt homini propria. (l) Jus gentium, quamvis aliqui interdum sumant pro ea lege naturali, quæ deducitur per consequentiam ex per se notis: propriè tamen est dictamen, quod ex altera saltem præmissa deducitur non quidem evidenter nota, sed ita probabili, ut facilè omnes gentes in eam, atque adeo in ipsius conclusionem consense-

(k) *Ibid. l. 5. etymol. c. 4. S. Tho. 1. 2. q. 91. ar 3. q. 94. a. 2.* (l) *S. Tho. 1. 2. q. 95. a. 4. ad 4.*

rint,

rint. Ita ius gentium est quoddam ius humanum, & à naturali propriè distinguitur. Jus civile est lex humana, quæ longius à principiis legis naturæ abest, eo quòd licet unam præmissam habeat evidentem, alteram tamen, quæ est probabilis, non habet valde apertam, & facilem ad assentiendum, cum pendeat ex consideratione circumstantiarum magis particularium; quæ sunt variæ in aliis, atque aliis civitatibus, vel provinciis, vel regnis. atque ita ius civile non est idem apud omnes gentes, sed apud varias varium, & proprium.

4. Jus proportionem habens arithmeticam est, quod habet eam æqualitatem, quam habent duo æquales numeri inter se, ut quinque, & quinque. (*m*) Huius iuris materia sunt contractus, & commutationes tum spontaneæ, tum invitæ. (*n*) Spontaneæ (quæ solæ communiter contractuum nomine appellari solent) sunt venditio, & emptio, qua fit permutatio rei pro pecunia. Usus fructus, cum quis concedit gratis fructificantis rei usum cum debito reddendi eamdem rem. Accommodatum, cum gratis concedatur usus rei non fructificantis cum debito reddendi eamdem numero. Mutuum, cùm conceditur gratis usus rei non fructificantis, cum debito reddendi eamdem specie, non numero. Locatio & conductio, cum conceditur pro pretio usus rei, cum debito eamdem reddendi. Depositum cum conceditur res, ut conservetur, & postea reddatur. Impignoratio, cum quis concedit rem ad firmandam obligationem satisfaciendi, ut scilicet si non satisfiat, retineri possit. Fideiussio,

(*m*) *Arist.5.eth.c.4.* (*n*) *Idem c.2. S.Th.2.2. q.91.a.3.*

cum

cum quis simpliciter se obligat ad satisfaciendum pro altero. & his similes. Dicuntur autem hi contractus sponte fieri, quoniam horum negotiorum principium à sponte instituitur. eorum autem, qui nobis invitis fiunt, alii sunt clandestini, ut Furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, servi alieni deceptio, aut corruptio, cædes dolo illata, falsum testimonium, detractio; alii violenti à vi aperta, ut verbera, vincula, mors, rapina, debilitatio corporis, maledicentia, contumelia. hæc omnia maleficia dicuntur. est autem maleficium, seu delictum, genus quoddam contractus, tum quia qui injuriam faciunt, & accipiunt, contrahere quodammodo inter se videntur; tum quia qui damnum infert alteri, quasi contrahit cum lege, ut ablatum restituat, & præterea pœna plectatur. Juris ergo arithmetici materia sunt contractus, quia iustum in contractibus eodem modo fit, quo fit æquale inter duos numeros. ut enim duo numeri inæquales rediguntur ad æqualitatem, cum ex majore non plus demitur, quam quod additum minori facit illum alteri æqualem; ut tria, & quinque fiunt æqualia, non demendo ex quinque duo, sed unum, illudque addendo ad tria, ut fiant quatuor, & quatuor; ita in contractibus fit justum cum ab habente rem alterius non plus demitur, et alteri tribuitur, quam quantum alteri debetur. Hoc ius alio nomine commutativum dicitur; et quatenus est in contractibus invitis, emendativum appellatur. Jus autem proportionem habens Geometricam est, (p) quod habet eam æqualitatem, quam habent duæ æquales proportiones, inter se, ut duplum, et duplum; talis æqualitas est inter proportionem numeri senarii ad ternarium,

(p) *Aristot. sup. c. 3.* quem

quem duplo excedit, & proportionem numeri octonarii ad quaternarium, quem duplo item excedit. Hujus generis justum exercetur in distributionibus bonorum communium in eos, qui sint partes communitatis: cum quantò unus alterum merito, & dignitate excedit, tantò ei plus, quam alteri, de bonis communitatis attribuitur. ut enim in Geometrica proportione numerorum sunt quatuor termini, nempe in exemplo allato, sex, tria, octo, quatuor; & Proportio sex ad tria, æqualis est proportioni octo ad quatuor, quia utraque est proportio dupla, & æquè tria exceduntur à sex, ac exceduntur quatuor ab octo: ita quatuor quoque termini sunt in distributionibus, nempe duo homines, inter quos justum intercedit, & duæ res, in quibus jus eis tribuitur; v.g. Achilles, & Ajax, libræ octo auri, libræ quatuor auri, si Achilles sit Aiace duplo melior, justum ita inter eos intercedet, ut prior octonas auri libras accipiat, posterior quaternas. Porrò in eo omnes homines conveniunt: Justum in distributione positum pro cujusque dignitate esse oportere.

5. Ad quartam juris divisionem intelligendam, quæ est in justum, seu æquale simpliciter, & secundùm quid; considerandum est quid dicatur æquale. Dicit æquale respectum ad alterum, ac alteritatem, seu distinctionem duorum inter se. nihil enim est æquale sibi ipsi. Quare in quibus est major ratio distinctionis, in iis est maior ratio æqualitatis. Jam æquale simpliciter, & secundùm quid, possunt sumi duobus modis. 1. Ut æquale simpliciter sit idem, quod verè æquale, ac propriè; æquale secundùm quid, quod est impropriè æquale, & secundùm quamdam similitudinem. 2. Ut æquale simpliciter sit idem ac omni ex parte æquale, quatenus extrema, inter quæ est æqualitas, nulla ex parte sunt

sunt unum inter se, sed omnino distincta: æquale secundùm quid sit idem, quod verè æquale secundùm aliquam rationem, non tamen secundùm omnem; ut albus secundùm quid est vere albus, si dentes tantùm albos habeat. In hac quarta juris divisione, quia agimus de jure, quod est objectum justitiæ, sumimus justum, seu æquale simpliciter, & secundùm quid secundo modo. Ita est jus simpliciter inter eos, quorum unus non est pars alterius, sed totus suus, & proprius sibi, ut sunt duo cives inter se: Jus secundùm quid est inter eos, qui licèt sint suppositis, & voluntate, ac secundùm aliquam dominii rationem distincti; unus tamen est pars alterius; ut Deus, & homo, Pater & filius, Respublica & civis. Potest autem is, qui se habet ut pars respectu alterius, tribus modis comparari cum altero. 1. Ut tantùm supposito distinctus ab altero, non autem voluntate, quatenus non habet proprium arbitrium, ut se habet puer respectu Patris. & hoc modo justum, quod inter eum, qui se habet ut pars, & eum, qui se habet ut totum, intercedit, est impropriè justum, & tantùm secundùm quamdam similitudinem cum propriè justo; quia totum, & pars hoc modo sumpta se habent prorsus ut quid unum, unum enim extremum nihil habet proprium contradistinctum à proprio alterius extremi. 2. Potest comparari, qui se habet ut pars, non solùm ut supposito, sed etiam ut arbitrio distinctus ab altero, qui se habet ut totum, atque adeo habens dominium, seu jus in suas actiones, licet illud dominium sit adhuc sub dominio alterius, qui se habet ut totum; ut se habet servus respectu Domini, homo respectu Dei, filius grandior nondum emancipatus respectu Patris. (q) & justum in his intercedens est propriè justum,

(q) S. Tho. 2. 2. q. 57. a. 4. ad. 2. quia

quia est alteritas voluntatis, & dominii: sed non simpliciter justum, quia dominium, quod habet pars, licet habeat proprietatem arbitrii contradistinctam ab arbitrio alterius, est adhuc sub dominio alterius, qui se habet ut totum. est ergo justum secundum quid, id est, secundum aliquam rationem, non autem absolute. 3. Potest comparari is, qui se habet ut pars, ad id, quod se habet ut totum, non solum ut supposito, & arbitrio, ac dominio in suas actiones, quod oritur ex arbitrio, distinctus, sed etiam ut habens dominium, & exigentiam ad bona totius, & proprietatem suorum bonorum ratione alicujus donationis, promissionis, aut alterius contractus facti cum eo, qui se habet ut totum. & hoc modo inter partem, & totum intercedit majus justum, quam secundo modo, quia est major alteritas, & proprietatis distinctio. non intercedit tamen simpliciter, & absolute justum, sed secundum quid; quia secundum eadem, secundum quæ secundum unam rationem is, qui se habet ut pars, est alter ab eo, qui se habet ut totum, secundum aliam rationem est quid unum cum toto, quatenus est sub dominio totius. Jam jus simpliciter, quale est inter duos cives, ab Aristotele 5.eth.c.6. appellatur jus politicum; jus autem secundùm quid, inter patrem, & filium jus paternum dicitur; inter Dominum, & seruum, jus herile, seu dominativum. Jus inter virum, & uxorem, licèt non sit simpliciter politicum, quia vir, & uxor sunt quasi una caro, ratione cujus unusquisque conjugum est quid alterius; maximè tamen ad politicum accedit, quia conjuges se habent ut partes ejusdem communitatis domesticæ, seu œconomicæ, juncti in quadam societate, & communitate vitæ matrimonialis, & quatenus unusquisque habet proprium dominium in corpus alterius, habent alteri-

tatem

tatem ab invicem ratione dominii, ac proinde inter eos intercedere videtur justum simpliciter. (1) Arist. omne jus, quod non habet utrinque dominium absolutum, quale est jus politicum, appellat jus secundùm quamdam similitudinem; non quod non verè sit jus, veram æqualitatem habens; sed quod est impropriè tale, quale est Jus politicum; & quod ad Jus politicum comparatum, quatenus ejus æqualitatem non habet, quæ absoluta æqualitas est, videtur eam æqualitatem imitari, ejusque similitudinem quamdam exprimere.

IV. PROPOSITIO.

De ratione formali Justitiæ.

2 (2) Justitia est habitus, secundùm quem aliquis constanti, & perpetua voluntate jus suum unicuiq; tribuit.

1. EX hujus definitionis explicatione intelligitur tota ratio Justitiæ, est enim habitus quidam moralis, ut & cæteræ virtutes morales, inhærens in voluntate, inclinans ad actum tribuendi unicuique jus suum. Dari autem hunc habitum probatur eodem modo, quo probantur dari ceteri habitus, ut enim ad alios voluntatis actus consequuntur habitus, ita & ad actum volendi tribuere unicuique suum.

2. *Constanti, & perpetua voluntate.*) Voluntas sumitur pro actu voluntatis, qui est effectus habitus justitiæ. Sumitur autè pro actu voluntatis, ut voluntas,

(1) *Valent.* 1. 3. *d.* 5. *q.* 1. *p.* 2. (2) *S. Th.* 2. 2. *q.* 58. *a.* 1.

tis actus est, id est, ut procedit ex electione, qui est actus appetitus rationalis. Definitur autem Justitia per ordinem ad hunc actum rationalem, quia in tribuendo unicuique suum maximè elucet ratio, cujus est ordinare unum ad alterum, qui ordo requiritur ad tribuendum unicuique suum. Hoc modo explicat rationem Justitiæ Arist. 5. eth. c.5. *Justitia*, inquit, *est, qua iustus dicitur iusti operator ex electione, ac distributor tam sibi ad alterum, quam alteri ad alterum.* Dicitur autem actus justitiæ constans, & perpetuus; quia non instabiles, ac vacillantes, sed firmi, & constantes, ac eundem semper tenorem servantes, sunt actus, qui ex habitu virtutis procedunt. Sunt autem actus virtutum firmi, ac constantes, tum quia ex causa firma, & constanti procedunt, quales sunt virtutes; tum quia quatenus à virtute procedunt, semper eundem tenorem servant, nempe rectitudinem, quia virtus non potest inclinare ad actum malum moraliter, ut dictum est q.1. Prop.1.

3. *Jus suum unicuique tribuit*) Per has particulas explica ur id, per quod differt Justitia à cæteris virtutibus. Jus autem idem est, quod justum, quod Propos.2. diximus esse obiectum justitiæ. Suum autem dicitur, quod est unicuique debitum. Debitum autem est alicui secundùm Justitiam, tum ut ei quippiam addatur, si minus habet, quàm debet, quod minus generatim (t) Damnum appellatur; tum ut quippiam ei detrahatur, si plus habet, quàm debet, quod Lucrum vocatur. Ex quo intelligitur jus suum etiam ei tribui, qui secundùm Justitiæ leges punitur, per subtractionem nimirum alicujus

(t) *Arist. 5. eth. c.5.*

sui

sui boni, ut redigatur ad æqualitatem cum eo, cui iniquè ipse abstulit. Porro per actum volendi tribuere unicuique suum, debet etiam intelligi actus volendi omissionem actus contrarii, nempe injuriam inferendi, connexionem enim habet is actus cum actu volendi reddere unicuique suum, ejusdémque virtutis est facere bonum in materia sua propria, & abstinere à malo contrario.

4. Jam ratio tribuendi unicuique suum potest considerari tribus modis, pro triplici acceptione Juris, quod alteri debetur. Potest enim jus alteri debitum 1. Accipi amplâ quadam ratione, ut abstrahit & à debito, quod oritur ex dominio; & à debito, quod oritur ex decentia, quod debitum morale nominatur. & ita ratio justitiæ, seu ratio tribuendi unicuique jus suum convenit omnibus virtutibus, quæ sunt ad alterum. 2. Jus alteri debitum potest accipi strictiùs pro debito oriente ex dominio alterius, sive is, cui jus debetur, se habeat ut totum respectu eius, qui debet justum tribuere, ac proinde non simpliciter, & absolutè ut alterum, sed alterum secundum quid; sive se habeat ut absolutè alterum. & hæc justitiæ ratio convenit non solùm justitiæ commutativæ, ac distributivæ, sed etiam legali. 3. Potest jus alteri debitum sumi strictissimè, pro justo debito alteri ut omnino alteri ab eo, qui debet tale justum tribuere. & ea ratio constituit justitiam strictissimè sumptam, qualis est commutativa, & distributiva. Debitum primo modo sumptum non videtur esse propriè debitum; quare non est propriè Justitia, nisi quæ habet rationem debiti tertio, & secundo modo sumpti. de hac ergo Justitia deinceps agemus. Præterea justum potest accipi duobus modis. 1. Pro perfectè justo, seu æquali. 2. Pro imperfectè justo, seu pro tendente

ad æqualitatem, licèt nunquam ad æqualitatem pervenire possit. Justum perfectum intervenit in Justitia commutativa, & distributiva; Justum autem imperfectum in Religione, & Pietate, & aliis speciebus Justitiæ legalis, quæ sunt Religioni & Pietati similes. Deo enim, & parentibus, circa quos Religio, & pietas versantur, nnnquam reddere possumus perfectè æquale. Quare ratio justitiæ strictissimè sumptæ, quæ est ratio reddendi non solum justum debitum, idque alteri ut alteri, sed etiam perfectè æquale, solùm in justitia particulari reperitur, qualis est commutativa, & distributiva. Nos suprà q. 1. prop. 6. sumpsimus justitiam pro habitu inclinante ad reddendum alteri ut alteri perfectè æquale, cum eam contradistinximus à Religione, Pietate, & aliis virtutibus, quæ sunt ad alterum.

V. PROPOSITIO.

De Justitiæ generibus.

Justitia, alia Generalis, sive legalis; alia Particularis.

1. HAec Justitiæ divisio intelligitur ex duplici respectu, quem homo habet ad alterum. Id enim, quod se habet ut alterum respectu hominis in reddendo ei justum debitum, aut est aliquid perfectè alterum, qualis est quilibet homo particularis respectu alterius hominis particularis; aut est aliquid alterum secundum quid, ut est communitas respectu ejus, qui sub ea communitate est, & Dominus respectu subditi. Justitia, quæ facit æquale inter particularem hominem, & communitatem, sive dominum, Justitia generalis, & legalis appellatur

tur. Generalis autem dicitur, non quòd sit virtus generalis, aut genus ad omnem aliam justitiam. est enim peculiare quoddam virtutis, & Justitiæ genus distinctum ab omni alio virtutis, & Justitiæ genere; quo redditur justum debitum communitati aut superiori; quæ ratio non reperitur in aliis virtutum, & justitiæ generibus. Sed Generalis appellatur, tum quia non habet peculiarem materiam sibi propriam, sed in ejus materiam cadere possunt actiones aliarum virtutum; tum quia id, cui debitum jus reddit, generale quid est, nempe communitas, & superior, quæ se habent ut quid totum commune cum multis, & participatum à multis. Dicitur legalis, quia justum, quod reddit hæc Justitia, lege præscribi solet. Leges enim feruntur propter bonum commune; quod ab hac Justitia spectatur in reddendo justum debitum. Justitia autem quæ facit æqualitatem inter duos homines particulares, ut inter duos cives, Justitia particularis nominatur; tum quia is, cui jus reddit, particularis est; tum quia circa particularem materiam versantur, diversam à materia aliarum virtutum, nempe circa commutationes, & distributiones; tum quia ratio, unde oritur debitum reddendi jus alteri est decretum aliquod particulare, nempe pactum: Ex his intelligitur triplex esse differentia inter Justitiam generalem, & particularem; quod Justitiæ generalis terminus est Bonum commune, seu ejus, qui se habet ut quid totum, terminus autem Justitiæ particularis est bonum personæ particularis: Justitiæ generalis materia complectitur actiones omnium virtutum; at materia Justitiæ particularis ad solam Justitiam particularem spectat: Ratio, unde oritur debitum in justitia generali, est lex sive naturalis, sive positiva; in Justitia verò particulari

est pactum. Quod autem tum generalis Justitia, tum particularis habeant rationem virtutis, res est clara; quia utriusque actio recta est, nempe tum ea, qua per Justitiam generalem circa bonum commune versamur reddendo debitum; tum ea, qua per Justitiam particularem circa particularis personæ bonum versamur: habitus autem inclinans ad actionem rectam, virtutis rationem habet, ut intelligitur ex iis, quæ suprà dicta sunt q. 1.

2. Contra id, quod dictum est, Justitiam generalem esse particulare genus Justitiæ ab aliis virtutum, & Justitiæ generibus distinctum, obiiciet quis 1. Arist.5.c.1. ait Justitiam legalem non partem virtutis, sed integram virtutem esse: & virtutem, ac Justitiam legalem esse eandem, differre tantùm, quod quatenus ad alterum spectat, Justitia; quatenus talis est habitus virtus simpliciter est. 2. Quæcunq; actio recta propter bonum propriũ, non potest præscindere à relatione ad bonum commune; quia bonum particularium, est bonum communitatis. ergo quæcumq; virtus, quæ versatur circa bonum particulare, est Justitia legalis. ergo Justitia legalis non distinguitur ab aliis virtutibus. 3. Ad rationem essentialem cuiusq; virtutis pertinet operari circa propriam materiam rectè secundùm omnes circumstantias; una autem ex circumstantiis est bonum commune. ergo operari propter bonum commune spectat ad omnes virtutes.

Sed Justitiam legalem esse speciale genus virtutis colligitur ex Arist. 5. eth. c. 1. qui eam vocat virtutem perfectam, & præstantissimam, & versantem circa alterum nempe Principem, vel Remp. Qui loquendi modus indicat Justitiam legalem esse specialem virtutem, & probatur ratione, Quia ratio distinguendi unam virtutem ab alia, est peculiaris

ratio

ratio formalis, quæ reperitur in actione, & obiecto unius, quæ non reperitur in alia; & peculiaris difficultas tendendi in eam rationem; & peculiaris laus, quæ debetur in eam tendenti: at hæc omnia sunt peculiaria in Justitia legali quatenus rectè agit ob bonum commune, ut commune bonum est. ergo Justitia legalis est peculiaris virtus ab aliis distincta.

Ad 1. Resp. Arist. cùm dixit Justitiam legalem esse integram virtutem, intellexisse ratione materiæ, circa quam Justitia legalis versatur, quæ sunt actiones omnium virtutum; non ratione obiecti formalis ipsius Justitiæ legalis. Dixit autem virtutem, & Justitiam legalem esse eamdem, differre solùm ratione, vel ratione materiæ, circa quam versatur Justitia legalis, quæ est eadem cum actionibus aliarum virtutum, ut non differat ab eis, nisi relatione, id est, quatenus à Justitia legali refertur ad bonum commune. vel voluit ipsammet Justitiam legalem alia ratione esse virtutem, alia Justitiam. Quatenus enim virtus, est habitus bonum faciens habentem, & opus eius reddens bonum; quatenus Justitia, respicit alterum.

Ad 2. Resp. Bonum particularium duobus modis posse referri ad bonũ commune, nempe vel spectando primario, ac per se, bonum commune; vel ex se, non spectato bono communi, quatenus etiam si bonum commune non spectetur, adhuc bonum partium est bonum totius. si bonum particularium primo modo referatur ad bonum commune, peculiare virtutis genus constituit, ut probat ratio suprà allata ante responsionem ad argumenta. Secundo autem modo relatio boni particularis ad bonum commune constituit distinctum virtutis genus. Habitus enim specificantur ab actibus, & hi ab

obiectis, quis autem neget distinctum specie actum esse eum, quo fit aliquid ob bonum commune expressè intentum, ab eo quo fit aliquid ob bonum particulare intentum, licet tale bonum cedat etiam in bonum commune.

Ad 3. R. In actione virtutis posse bonum commune se duobus modis habere, nempe vel ut mera circumstantia, vel ut principale obiectum, & primariò intentum. operari primo modo, rationem habendo boni communis, spectat ad alias virtutes: operari autem primariò ob bonum commune, seu ut reddatur communitati justum debitum, spectat ad peculiarem virtutem, nempe ad justitiam legalem.

3. Hoc in loco disputandum esset, An justitia legalis sit justitia propriè dicta. Sed hoc dubium facilè solvi potest ex dictis ad 4. propos. Si enim justitiam propriè dictam dicamus eam, quæ inclinat ad reddendum alteri justum propriè debitum, Justitia legalis est propriè Justitia. & ita Arist. 5. eth. c. 2. ait Justitiæ rationem univocè dici de Justitia legali, & particulari. Si verò Justitiam propriè dictam velimus esse tantùm eam, quæ est ad alterum omnino alterum, & quæ reddit omnino æquale; Justitia legalis non est secundùm hanc acceptionem propriè Justitia. Rursus secundùm quod Justitia legalis interdum versatur circa quædam, quæ non sunt debita alteri, nisi secundùm quamdam decentiam, ut infrà dicemus, secundùm hæc non habet veram Justitiæ rationem.

VI. PRO-

VI. PROPOSITIO.

De Generibus Justitiæ Particularis.

Justitia particularis, alia Distributiva, alia Commutativa. Distributiva est, quæ inter particulares, quæ sub aliqua communitate sunt, facit (u) *æqualitatem Geometricam. Commutativa, quæ facit æqualitatem Arithmeticam.*

Quod rectè Justitia particularis dividatur in Distributivam, & Commutativam, probatur. Quia Justitiæ particularis est facere æqualitatem inter particulares, ut suprà dictum est. Duplex autem æqualitas inter particulares contingere potest, nempe vel Geometrica, vel Arithmetica. ergo duplex Justitia. Æqualitas Geometrica contingit fieri in distributionibus, quæ fiunt inter particulares ex bonis communitatis: ideo Justitia, quæ hanc æqualitatem facit, appellatur Distributiva. Quæ verò æqualitatem arithmeticam facit, Commutativa nominatur; quia Arithmetica æqualitas in commutationibus, id est, contractibus intercedit. Ex quibus intelligitur, in quo differant inter se Distributiva, & Commutativa Justitia. Differunt enim (x) tum in ratione formali, tum in materia. (y) In ratione quidem formali; qua (z) diversum specie justum est, seu æqualitas Geometrica, à justo, & æqualitate arithmetica; diversam habens difficulta-

(u) *sup. Prop.* 3. § 4. (x) *Arist.* 5. *eth. c.* 2. *S. Th.* 2. 2. *q.* 61. *ar.* 1. (y) *Arist.* 5. *eth. c.* 3. & 4. (z) *sup. Prop.* 3. § 4.

tem in sui prosequutione, ac diversam laudem, ut patet. Præterea licèt Distributiva, & Commutativa Justitia conveniant secundùm rationem æqualitatis in eo, quod æqualitas, quam eæ faciunt, non est metienda ex naturis rerum, vel accidentibus naturalibus, ut qualitatibus, magnitudine, numero, &c. Sed ex hominum æstimatione, (a) cuius æstimationis quasi regula est hominum indigentia, tantò enim maioris, vel minoris res ab hominibus æstimantur, quantò eis magis, vel minus indigent, ad finem scilicet aliquem vel necessarium humanæ vitæ, vel utilem, vel iucundum. Differunt tamen Justitia Commutativa, & Distributiva inter se secundùm rationem æqualitatis; quia in Distributiva in faciendo æqualitatem inter duos particulares, semper, ac per se attenditur personarum dignitas, ut uni tantò plus tribuatur ex bonis communitatis, quam alteri, quantò dignitate, vel merito excedit alterum: at in commutativa non attenditur in æqualitate facienda personæ dignitas, sed tantùm rei valor, verbi gratiâ, in venditione, in compensando pretio rei emptæ non attenditur dignitas personæ, à qua rem emeris, sed tantùm valor rei emptæ. interdum tamen per accidens attenditur personæ dignitas, nimirum cùm ex dignitate personæ crescit valor rei; ut accidit in compensandis iniuriis, quæ eò sunt maiores, ac proinde maiorem compensationem exigunt, quo persona offensa est dignior.

Rursum differunt Justitia Distributiva, & Commutativa inter se in materia, non quidem remota; sed proxima. Remota utriusq; Justitiæ materia sunt

(a) Arist. 5. Eth. c. 5.

res,

res circa quas Justitiæ actus tanquam circa materiale obiectum versantur, ut sunt honores, pecunia, & cætera, quæ spectant ad humanum usum. In hac materia non differunt. versatur enim utraque in iisdem rebus vel distribuendis, vel compensandis, vel commutandis. Res autem, quæ in distributionem, vel commutationem, seu compensationem cadunt, aut sunt distinctæ ab ipsis personis, & separatæ, ut pecunia, frumentum; aut cum illis coniunctæ, ut honor, vita, libertas. Materia proxima sunt actus externi, quibus materia remota usurpatur vel commutando, seu compensando vel distribuendo. Qui actus externi, ut per eos existat æqualitas, fiunt duobus modis; nempe vel tribuendo aliquid, vel detrahendo. Sunt autem hi actus materia, non quatenus recti sunt, sed quatenus rectitudinem à Justitia suscipere possunt in æqualitate ad alterum facienda, ut justi reddantur. Actiones internæ voluntatis, quibus eligitur justa operatio externa erga alterum; non justitiæ materia propriè, sed potiùs sunt actus eliciti ipsius justitiæ. Quamquam eæ actiones internæ quatenus considerantur non ut rectæ, sed rectificabiles per justitiam, materia justitiæ dici etiam ipsæ possunt. Possent etiam dici materia Justitiæ alii actus interni, ut passiones, non quatenus in eos inducitur mediocritas, quia hoc modo non Justitiæ, sed aliarum virtutum materia sunt: sed quatenus à Justitia referuntur ad actus externos, qui ad Justitiam directè spectant. Potest etiam dici Justitia versari circa aliquos actus internos; ut circa voluptatem, non quatenus voluptas est materia Justitiæ, sed quatenus est effectus quidam consequens ad rectam actionem Justitiæ; qua ratione dicuntur omnes virtutes morales, circa voluptates versari, ut explicavimus su-

prà

pra q. 1. Jam justitia Commutativa, & Distributiva differunt in materia proxima, nempe in actibus externis, quos supra diximus. nam materia proxima Justitiæ distributivæ sunt distributiones bonorum communium, & onerum; materia autem commutativæ justitiæ sunt commutationes, seu compensationes rerum quarumcunque ad humanum usum spectantium. Commutationes autem, seu contractus, alii spontanei sunt, alii inviti, ut supra diximus propos. 3. §. 4. Commutationes autem invitæ sunt materia justitiæ, non quatenus ad ipsas v.g. ad furtum, veneficium, &c. movet justitia, seu quatenus eas emendat, seu compensat, & ad æqualitatem redigit.

VII. PROPOSITIO.

De Generibus Justitiæ Generalis.

Justitiæ Generalis, sive legalis genera quatuor sunt; Justitia legalis specificè sumpta, Religio, Pietas, Observantia.

1. JUstitia Generalis, id est, justum debitum reddens ei, quod ut generale quid, sive commune se habet respectu aliorum: sive legalis, id est, cujus Justitiæ justum lege præscribitur sive naturali, sive positiva: Hæc, inquam, Justitia duobus modis considerari potest. 1. Ut reddens justum debitum communitati largè sumptæ, id est, ei quod se habet ut totum respectu aliorum. & hoc modo Justitia generalis est genus ad quatuor species, quas in propositione numeravimus. Sunt enim quatuor genera eorum, quæ se habent ut totum respectu aliorum, nempe primum principium omnium, qui est Deus; Principium secundum, quale sunt Patria, Parentes,

Parentes; Superiores ratione meræ excellentiæ, aut gubernationis, quales sunt Reges, & Duces; Communitas, ut communitas, qualis est quælibet hominum congregatio legitima. His quatuor generibus totorum quatuor iustitiæ legalis genera respondent, Religio, Pietas, Observantia, Justitia legalis presse sumpta. 2. Potest considerari iustitia legalis ut reddens iustum debitum communitati stricte sumptæ, id est, Congregationi hominum legitimam inter se societatem habentium. & hoc modo iustitia legalis peculiare quoddam iustitiæ genus est non solum à iustitia particulari, sed etiam à Religione, Pietate, Observantia distinctum; & iustitia politica dici posset, ut eo nomine distinguatur à iustitia legali, quod est genus ad quatuor species in Propos. numeratas.

De Religione.

2. (a) Religio inclinat hominem ad debitum Deo cultum, & honorem exhibendum tanquam omnium Creatori, ac Domino. Cultus autem, sive reverentia, sive honor divinus, quod est obiectum religionis, habet duo, alterum materiale, quod est quodvis officium sive internum, sive externum, quod fit à nobis accommodate ad excitandam de Deo in nobis, aut in aliis, talem existimationem, qualem re vera de divina excellentia, & maiestate habere convenit: alterum formale, quod est ipsa existimatio propriè conveniens excellentiæ, ac majestati divinæ. Versatur autem Religio circa suum obiectum, qui est cultus divinus, quo homo se, suaque Deo subiicit, ut primo principio, multis

(a) S. Th. 2. 2. q. 81. & 82.

actibus;

actibus; quorum tria sunt genera. Primum eorum, qui immediatè ab ipso Religionis habitu eliciuntur, fiúntque à voluntate; in quibus præcipuum locum habet Devotio; quo actu promptè volumus, exequi omnia, quæ pertinent ad Dei servitium, atque ita totos nos divino cultui mancipamus, oritur autem maximè is actus tum ex consideratione divinæ bonitatis, & beneficiorum, quæ Deus in nos confert; tum ex cognitione propriorum defectuum, ex qua cognoscit homo maximè oportere Deo niti. Secundum actuum genus est eorum, qui ad alias quidem virtutes pertinent, sed ad Religionem spectant quatenus ab ipsa imperantur. Dicitur autem una virtus imperare alii: quatenus homo ex affectu, quem habet ad objectum unius virtutis, excitatur ad actum alterius virtutis. hoc modo ad Religionem spectant actus omnium virtutum, cum ad cultum Deo exhibendum referuntur. Tertium genus actuum est eorum, qui ad solam Religionem spectant, quia immediatum eorum objectum est cultus divinus, sed non eliciuntur immediate à voluntate, ubi est Religionis habitus, sed ab aliis potentiis. Horum autem actuum multa sunt genera pro varietate eorum, quæ Deo subjiciuntur. illa sunt præcipua, oratio, votum, juramentum, adoratio, sacrificium, oblatio, de quibus singillatim agitur in sacra Theologia.

De Pietate.

3. (*b*) Pietas, est virtus, per quam debitus cultus tribuitur iis, quorum beneficio post Deum subsistimus, & gubernamur, nempe parentibus, & patriæ, atque adeo etiam propter hos iis, qui vel neces-

(b) *S.Tho.2.2.q.101.*

sitate

sitate aliqua sanguinis cum parentibus, vel benevolentiæ vinculo cum patria conjuncti sunt. Ex hac Pietatis descriptione colligitur hanc virtutem etiam erga filios, & conjugem exerceri: quia filii sunt aliquid avorum, à quibus descendunt; quare coluntur parentes in filiis avi filiorum: & conjux quatenus ad filios procreandos pertinet, qui sunt maxime consanguinei avorum, etiam ad pietatis objectum spectat; quare coluntur parentes in conjuge. complectitur ergo Pietatis objectum & filios, & conjugem.

De Observantia.

4. (c) Observantia, est virtus, per quam tribuimus cultum personis in dignitate constitutis, per quam vel actu gubernant nos, vel sunt apti ad gubernandum. Spectat etiam ad hanc virtutem cultus, qui exhibetur personæ excellentem virtutem habenti, quia ea virtus ad dignitatem disponit. Habet autem observantia varias species pro diversitate dignitatum. alia enim est observantia, qua milites colunt Ducem; alia, qua discipuli præceptorem, &c.

De Justitia legali specificè sumpta.

5. Justitia legalis, ut est species ad Justitiam legalem generice sumptam, est virtus, quæ inclinat ad reddendum justum debitum communitati ut communitas est. Hæc virtus alio nomine justitia politica dici potest. In reddendo autem justo debito spectat peculiariter bonum commune. Bonum autem commune in felicitate Reip. sive communitatis est positum. Felicitas autem duplex tum activa, tum contemplativa, de qua diximus d. 2.

(c) S. Tho. 2. 2. q. 102.

De Epiiceia, seu Æquitate.

(*d*) Epiiceia, quam latinè æquitatem appellamus, videtur hoc in loco ponenda, videtur enim esse vel ut genus quoddam iustitiæ legalis genericè sumptæ, quod ita se habeat ad reliqua justitiæ legalis genera, ut substantia ad accidentia, nempe ut quid nobilius illis; vel ut pars quasi integralis justitiæ legalis genericè sumptæ. est enim epiiceia virtus quæ in reddendo justo, & in actionibus cujusl. bet virtutis, de quibus lata est lex, respicit ut regulam non legem, sed intentionem legislatoris, seu ipsam quidem legem, non ut verbis sonat, sed secundùm intentionem legislatoris. Quare solet appellari correctio legis, & interpretatio. quamquam non interpretatur propr è legem; quia non explicat illam in dubiis; sed facit contra ejus verba, & secundùm intentionem legislatoris in iis tantùm, in quibus clarè cernitur ea esse, intentio legislatoris. Habet autem epiiceia virtutis rationem; quia interdum agere secundùm verba legis, esset malè agere; ut lege præcipiente deposita esse restituenda poscentibus, si quis furioso dum est in furia essem depositum poscenti redderet, aut alicui poscenti in patriæ impugnationem, malè ageret. Adh benda autem est epiiceia propter casus particulares, quibus à legislatoribus, qui in condendis legibus attendunt ad ea, quæ ut plurimum accidunt, non potuit per leges provideri.

(*d*) *Arist.* 1. *eth. c.* 10. S. *Thom.* 2. 2. *q.* 120.

VIII.

VIII. PROPOSITIO.

De Virtutibus, quæ sunt affines Justitiæ.

Virtutes justitiæ affines sunt, quæ participant rationem justitiæ, & similitudinem habent cum illa, quatenus sunt ad alterum; deficiunt tamen ab eadem ratione, quatenus non respiciunt justum sub perfecta, & stricta debiti ratione. Eæ sunt Gratia, Liberalitas, Magnificentia, Affabilitas, Veritas, Urbanitas.

1. SI Justitiæ ratio strictissimè sumatur ut respicit perfectè alterum, & perfecte æquale; Justitiæ ita strictè sumptæ sunt affines non solum eæ virtutes, quæ in hac propositione numerantur, sed omnes etiam species Justitiæ legalis, de quibus in 7. Propos. dictum est. Sumpta autem Justitiæ ratione latiùs, quatenus respicit justum debitum sive illud sit perfecte æquale sive non sit; sive ad perfecte alterum, sive ad alterum secundùm quid: ita justitiæ sunt affines eæ virtutes, de quibus nunc agimus.

De Gratia.

2. *(c)* Gratia, sive Gratitudo, est virtus per quam convenienti aliquo modo compensatur gratiosum beneficium, acceptum ab aliquo particulari. Ab aliquo, inquam particulari; quia compensare beneficia à Primo principio accepta spectat ad Religionem; compensare accepta à principio secundo, ad Pietatem; compensare accepta à personis

(c) S. *Tho.* 2. 2. *q.* 106.

in

in dignitate constitutis, quæ sunt principia gubernationis & beneficiorum communium spectat ad Observantiam. Quare Gratitudo esset quædam species justitiæ legalis, numeranda cum Religione, Pietate, Observantia; nisi deficeret à ratione debiti, quod in justitia legali, & ejus speciebus respicitur. harum enim debitum est debitum legale oriens ex dominio; debitum autem gratitudinis oritur ex decentia, deficiens à perfecta, & stricta debiti ratione.

De Liberalitate.

3. (*i*) Liberalitas mixta quædam virtus est, duplicem inclinationem habens, alteram ad moderandum passiones circa divitias, alteram ad insumendum divitias tum ad utilitatem propriam, tum ad utilitatem aliorum. Liberalem enim omnes putant eum, qui liberum animum habet ab inhærendo divitiis, ut ob id propensionem habeat ad impendendum illas secundùm rectam rationem, & ad usum proprium, & ad utilitatem aliorum. quamquam ad virtutem etiam liberalitatis spectat honesta acceptio, ut cum accipit quis quantum & unde accipere debet, & cum accipit sine immoderata cupiditate, & ut habeat, unde aliis honestè largiatur. sed largitio principaliter à liberalitate spectatur; quia præstantius est dare, quàm accipere. est autem liberalitas justitiæ affinis, non quatenus passiones moderatur, neque quatenus versatur circa divitias in ordine ad proprium commodum; sed quatenus est ad alterum, impendens divitias in commodum aliorum, & largitiones faciens.

(g) *Aristot.4.eth.c.1.S.Tho.2.2.q.117.*

De

De Magnificentia.

4. (g) Magnificentiæ ratio consentit cum Liberalitatis ratione in eo quod utraque circa pecuniarum, & earum, quæ pecunia mensurantur, actiones versatur: sed liberalitatis ratio differt à Magnificentiæ ratione: quod liberalitas circa omnes pecuniarum actiones est, exceptis sumptuosis; Magnificentia sumptuosas actiones spectat, easque magnas, decoras, diuturnas. spectat autem hæc magna secundùm rectam rationem, quæ dictat magnos sumptus faciendos spectatis omnibus circumstantiis, præsertim propriæ personæ, ac boni communis. Præterea differt Liberalitas à Magnificentia, quòd Liberalitas utilitatem spectat, Magnificentia splendorem, & ornamentum: Liberalitas bonum proprium, & amicorum maximè intuetur, Magnificentia bonum civitatis, familiæ, cultum divinum: Magnificentia in dando solum occupata est, Liberalitas etiam in accipiendo.

De affabilitate.

5. (h) Affabilitas, quæ alio nomine Amicitia dicitur, est virtus, per quam quis iis, quibus cum conv vit, variis officiis se carum reddit. Quatenus enim homo est animal sociale, debet ita se cum aliis habere, quibus cum agit, ut eos secundum rectam rationem non contristet, seque illis amabilem reddat, ne solvat societatem cum illis. objectum ergo Affabilitatis sunt officia quæ redduntur aliis, non ex debito alio, quàm decentiæ. ex quo intelligitur hanc virtutem non esse speciem justitiæ,

(g) *Arist. 4. eth. c. 2. S. Tho. 2. 2. q. 134.* (h) *Arist. 4. eth. c. 6. S. Thom. 2. 2. q. 114.*

licet

liceat circa alios versetur, quia deficit à ratione debiti; esse tamen Justitiæ affinem, quatenus est ad alterum cum debito decentiæ. Differt hæc virtus ab Amicitia, licet ipsa quoque amicitiæ nomine nuncupetur: quod amicitia præter officia, quæ reddit amicis, dicit amorem erga amicos; hæc autem non dicit amorem, sed præcise versatur circa officia, quæ verbis, & factis exhibentur aliis ut convivens aliis sit illis jucundus, & carus. Sunt & aliæ duæ virtutes, quæ in sermonum, & factorum communione versantur, veracitas, & urbanitas; quarum altera circa veritatem aliis exhibendam, altera circa jocos est.

De Veritate.

6. (i) Veritas sive veracitas, est virtus, per quam talem se quis exhibet alteri tum verbis, tum factis qualis re vera est. Ad hanc virtutem revocatur Fides, seu Fidelitas. est autem Fidelitas virtus, quæ inclinat ad exequendum quodcumque opus promissum.

De Urbanitate.

(k) Urbanitas, seu facetudo, quæ Græcis Eutrapelia dicitur, est virtus, quæ concinne, & lepide, ac secundùm rectam rationem circa sales, & jocos versatur. Recta autem ratio dictat pensandas esse circumstantias personarum, loci, temporis & cetera ejusmodi. Non enim jocus ex virtute exhibetur nisi conveniat personæ illum exhibenti, ei, cui exhibetur, tempori, loco, &c. & nisi exhibeatur ob finem honestum, qualis est quies animi, &

(i) *Arist.4. eth.c.7. S.Thom.2. 2. q.109.* (k) *Arist.4.eth.c.8.S.Tho.2.2.q.161.ar.2.*

recreatio;

recreatio, quæ interdum neceſſariæ ſunt hominum vitæ.

De Obedientia.

(l) Obedientia, eſt habitus quo exequimur actus præceptos, quia præcepti ſunt. Executio enim actuum præceptorum, ſi non fiant ſub ea formalitate quia præcepti ſunt, non eſt obedientia formalis, ſed materialis, ſpectans formaliter ad alias virtutes. Actus enim omnium virtutum eſſe poſſunt obedientiæ materia. Obedientia autem quatenus exequitur actum præceptum quia præceptus eſt, peculiaris quædam virtus eſt ab aliis virtutibus diſtincta, quia peculiare habet objectum ab objectis aliarum virtutum diſtinctum, nempe Præceptum. & quia ſuperior, cujus eſt præcipere, habet jus in ſubditum, ut ea, quæ præcipit, exequutioni mandentur; ideo executio rei præceptæ eſt quædam juſti debiti redditio. videtur ergo obedientia eſſe quædam ſpecies juſtitiæ. & quidem videtur eſſe ſpecies juſtitiæ legalis; quia reſpicit alterum non ut perfecte alterum; quia, reſpicit ſuperiorem qui habet dominium in ſubditum, ratione cujus dominii ſubditus eſt aliquid ſuperioris. cum autem ſint varia ſuperiorum genera, nempe Deus, Parentes, homines in dignitate conſtituti; non tamen ob id obedientia eſt diverſæ ſpeciei; quia reſpicit omnem ſuperiorem ſub ea præciſè ratione, ut præcipiens eſt. Quamvis autem obedientia ſit peculiaris ſpecies juſtitiæ legalis; quia tamen non ſpecificatur à perſonis quibus reddit iuſtum debitum, ſ ut ſpecificantur aliæ ſpecies juſtitiæ legalis ideo non videtur per ſe numeranda cum ſpeciebus juſtitiæ legalis, ſed

(l) S. *Tho.* 2. 2. *q.* 104.

cum

cum singulis connectenda, nempe ut reddens personis, circa quas cæteræ justitiæ legalis species versantur, justum debitum quo ad executionem rei præceptæ ut præceptæ: ergo ratione hujus connexionis dici potest Obedientia virtus affinis speciebus justitiæ legalis.

De Vindicatione.

(*m*) Vindicatio, est virtus, per quam injurias honestè ulciscimur intentione removendi nocumenta. ultio enim potest fieri vel intentione nocendi, vel ad removendm nocumenta. secundo modo versatur circa objectum honestum; ac proinde potest esse actus virtutis. Porrò differt vindicationis virtus à justitia vindicativa; quod licet utraque circa ultionem versetur, id est, circa retribuendum malum ei, qui malum intulit; Justitia vindicativa spectat retributionem mali ut facientem æqualitatem, seu compensantem malum alteri illatum; vindicatio autem spectat re tributionem mali, non ut facientem æqualitatem, sed præcisè ut removentem nocumentum injuriæ illatæ. Quare vindicatio non est species justitiæ sed virtus justitiæ affinis quatenus est ad alterum. Justitia autem vindicativa species est justitiæ commutativæ, quia circa justum arithmeticum versatur, quatenus tantum infert damni ei, qui damnum intulit, quantum fuit damnum illatum. (*n*) In recompensando autem damno illato, ut fiat æqualitas, non debet fieri Retaliatio, id est Repassio ejusdem damni, quod illatum est; ut, si quis rusticus Magistratum alapa percusserit, ipse quoque alapa repercutiatur. Retaliatio enim non semper facit æqualitatem. quia, exempli causa, majoris valoris est

(*m*) *S.Th.2.2.q.108.* (*n*) *Arist.5.ethic.5.*

cutitur

damnum, quod recipit Magistratus cum alapa percutitur à rustico, quam compensatio, quæ redditur Magistratui dum repercutitur rusticus.

IX. PROPOSITIO.

De vitiis justitiæ contrariis.

Justitiæ injustitia opponitur. Ut autem duo sunt prima justitiæ genera, Particularis, & Legalis, ita & injustitiæ, alia enim, est injustitia particularis, alia illegalis Religioni duo vitiorum genera apponuntur, alterum per excessum circumstantiarum indebitarum, Superstitio; alterum per defectum, Irreligiositas. Liberalitati oppositæ sunt Avaritia, & Prodigalitas; Magnificentiæ Parvificentia, & Apirocalia; Affabilitati Adulatio, & Litigium; Urbanitati Scurrilitas, & Rusticitas.

De Injustitia.

1. QUot modis dicitur justitia, tot etiam modis dicitur injustitia. ut enim justitia dicitur omnis habitus bonus quatenus inclinat ad actum conformem rationi, ac legi cuicumque: ita etiam Injustitia appellatur quicumque habitus malus inclinans ad aliquid legi repugnans. ita Arist. 5. eth c. 1. appellat injustum eum, qui est illegitimus, id est, à lege exorbitans in quacumque materia. 2. Ut justitia significatione magis stricta dicitur Justitia legalis; ita injustitia magis strictè est habitus inclinans ad agendum contra bonum commune, ex certa intentione agendi contra illud. hoc enim bonum certa intentione spectatur à justitia legali. 3. Ut justitia strictissimè sumpta est habitus inclinans ad simpliciter iustum, & ad perfectam æqualitatem

litatem faciendam; qualis est iustitia particularis, cuius duo sunt genera, Commutativa, & Distributiva: ita iniustitia strictissimè sumpta est vitium huic iustitiæ contrarium nempe quod inclinat ad inæqualitatem, seu iniustum iusto simpliciter, ac perfectæ æqualitati contrarium.

2. Iniustum porrò, ut sit formaliter obiectum huius iniustitiæ, duo requirit, nempe voluntarium ex parte agentis, id est, ut agens operetur iniustum volens, & ex electione; & involuntarium ex parte patientis, ut qui iniustum patitur, patiatur nolens. (o) Quod requiratur voluntarium ex parte agentis, probatur: Quia formaliter iniustum est, quod est moraliter iniustum: moralitas autem pendet ex voluntate agente cum advertentia rationis, ut dictum est d.1.q.3. Quare iniustum, quod non est voluntarium, est iniustum materiale: & is, qui iniustum operatur involuntariè, dicetur agere iniustum, sed non iniustè. Potest autem contingere, ut iniustè quis aget, & advertenter, sed non ex habitu iniustitiæ, neque ex affectu ad iniustum, sed ex alia passione, ut qui furatur ut fornicetur: & is, licèt sit iniustus quatenus iniustè operatur; potest tamen cum Aristotele dici Non esse iniustus, quia non ex habitu iniustitiæ, neque ex affectu ad iniustum operatur. (q) Quod rursum ad formaliter iniustum, quod est obiectum iniustitiæ, requiratur ex parte patientis involuntarium, probatur. 1. Quia iniustum formaliter est iniustum morale: morale autem iniustum opponitur iusto, seu æqualitati morali: moralis autem æqualitas est æqualitas volita: at cum quis volens patitur iniustum,

(o) *Arist.5.eth.c.8.* (p) *Arist.5.eth.c.9.*

non

non vult justum, seu æqualitatem. ergo injustum quod patitur, non opponitur justo morali, ac proinde non est formaliter injustum.

2. Quia injustum est, quod tollit justum alteri debitum: debitum autem alteri non est, quod non est illius: illius autem non est, quod ille non vult: non vult autem, qui injustum vult: cedit enim juri suo.

3. Ex his colliguntur duo: 1. (q) Neminem ad se ipsum exercere posse actum injustitiæ; non solùm quia injustum justo opponitur, non est autem propriè justum ubi non est alteritas, non est autem propriè alteritas ejusdem ad seipsum: sed etiam quia ad formaliter injustum requiritur involuntarium ex parte patientis ut dictum est; qui autem ipse sibi aliquid detrahit, volens detrahit; ac proinde defectum rei, quam sibi detrahit, non patitur involuntariè. Secundum, quod ex dictis colligitur, est, eum, qui facit injustum, injuriam referre alteri non solùm quatenus ei aliquid detrahit, sed etiam quatenus detrahendo contra ejus voluntatem facit. Quare in æqualitate facienda non solùm debet fieri compensatio pro damno illato; quæ fit vel restituendo id, quod ablatum est, vel alio modo satisfaciendo, ut subeundo aliquam pœnam: sed etiam debet fieri satisfactio pro injuria allata, quatenus detrahendo contra alterius voluntatem fecit; quæ satisfactio solet fieri per aliquid pœnale, ut quemadmodum ipse intulit alteri, quod illi displicuit, ita ipsi inferatur aliquid, quod ei displiceat, atque ita fiat æqualitas. Fit autē æqualitas dum compensatur alteri id, quod ratione injusti allati habet minus,

(q) *Arist. 5. eth. c. 11.*

quàm debet habere, & ab eo, quod injustum intulit, quod habet plus ratione injusti illati.

3. An autem uni Justitiæ generi unum tantùm opponitur genus Injustitiæ? An, cùm virtus circa mediocritatem versetur, quælibet Justitia, quippe virtus, media est inter duo vitia extrema, quorum alterum circa excessum, alterum circa defectum versetur? Dicendum videtur cuilibet justitiæ ut justitia est æqualitatem faciens, unum tantùm vitium opponi, quod est per defectum. Solus enim defectus inæqualitatem facit, quæ debitam æqualitatem tollat. Excessus autem, ut excessus est, non tollit æqualitatem debitam; sed posita illa, ponit adhuc aliquid aliud, nempe id, quod facit excessum. Quare positio excessus, ut excessus est, non est Justitiæ contraria, ut Justitia est. Posset autem contingere ut excessus in uno extremo inæqualitatem faceret in altero extremo per defectum alterius extremi; & ita excessus opponeretur Justitiæ, non ut excessus est, sed ut causans defectum in altero. Justitiæ ergo ut Justitia est, unum tantùm vitium opponitur, quod est per defectum. Sed ratione circumstantiarum, quæ reddendo justo debito spectandæ sunt, potest duplex vitium uni Justitiæ opponi, alterum per defectum sive justi debiti, sive circumstantiæ debitæ; alterum per excessum, seu additionem alicujus circumstantiæ indebitæ.

De Iniustitia illegali.

5. Injustitia illegalis est, quæ ex contemptu boni communis, & ex certa intentione faciendi contra illud, inclinat ad committendum peccatum aliquod contra quamvis virtutem. Ex hac definitione intelligitur

gitur Injustitiam illegalem esse vitium distinctum ab aliis vitiis; quia ejus objectum habet rationem formalem distinctam à rationibus formalibus objectorum aliorum vitiorum; ut suprà dictum est Justitiam legalem esse virtutem distinctam ad aliis virtutibus. est autem injustitia illegalis causa cæterorum vitiorum quatenus ex contemptu boni communis inducitur homo ad quodcumque peccatum perpetrandum, nempe ut nocent bono communi.

De Superstitione.

6. (r) Superstitio est vitium, quod inclinat ad indebitè usurpandum divinum cultum; usurpatur autem divinus cultus indebitè, cùm vel creaturæ tribuitur, vel Creatori indebito modo. Tribui potest creaturæ tribus modis. 1. Spectando solùm creaturæ gloriam, & hæc superstitio est Idolatria. 2. Procurando ex creatura instructionem, & cognitionem rerum occultarum; & hoc superstitionis genus dicitur Divinatio. 3. Procurando ex creatura bona sive corporis, sive animi per media non ordinaria, & à Deo constituta, quæ proindè à solo Deo expectari deberent. & hæc dicitur Observatio vanarum observantiarum. & referri potest ad nocumenta eis bonis contraria, alteri inferenda. Creatori autem indebito modo tribuitur divinus cultus, cùm is aut falsus est, aut superfluus. Falsus est, cùm divini honoris causa adhibentur quædam, quæ aut falsum significant, ut si nunc adhiberentur cæremoniæ veteris legis; aut ecclesia non vult adhiberi, ut si quis sacris admisceret prophana. Superfluus

(r) *S. Th. 2. 2. à q. 92. usque ad 97.*

est, si judicio proborum, & sapientum, neque ad excitandum interiorem spiritum, neque ad divinam glòriam pertinet.

De Irreligiositate.

7. (s) Irreligiositas est, quæ circa materiam, sive objectum Religionis ita versatur, ut ex propria ratione peculiariter illam quasi vilipendat, & despiciat: quare videtur illam aversari, atque adeò quasi non attingere; & eatenus dicitur vitium contrarium Religioni per defectum. Hujus autem quatuor sunt genera: Tentatio Dei, & Perjurium, quibus ipse Deus despicitur; Sacrilegium, & Simonia, quibus res divinæ, & sacræ pertinentes ad divinum cultum, irreverenter tractantur. Tentatio Dei est, per quam ex dubitatione de aliqua perfectione divina aliquid agitur experiendi causa, utrum Deus habeat illam perfectionem, necne. Potest autem dubitatio esse vel expressa, vel interpretativa, & implicita, cùm quis etiamsi expressè non dubitet de divina perfectione, id tamen agit, quod suapte natura ad nihil aliud pertinere, & referri posse videtur, quàm ad sumendam experientiam de divina perfectione, quasi de illa dubitaretur; ut, cùm quis neglectis mediis à divina providentia constitutis, aliquid agit, expectans effectum à solo Deo, nulla rationali causa ad id movente. Perjurium est, quo vel cum veritatis, vel cum defectu cujusvis earum circumstantiarum juratur, quas Theologi ad Juramenti rectitudinem docent requiri. Sacrilegium, est violatio, sive irreverentia rei sacræ ut sacra est; viola-

(s) *S.Th.* 2.2.*a.q* 97. *usque ad* 101.

tur

tur autem res sacra ut sacra est, cùm quid agitur repugnans ei divino cultui, ad quem res est destinata. Pro triplici autem rerum sacrarum genere, nempe Personarum, Rerum, Locorum, triplex est genus sacrilegiorum. Simonia, est voluntaria, & deliberata emptio, vel venditio rei spiritualis, aut alicuius, quod sit rei spirituali annexum.

De Avaritia, & Prodigalitate.

8. (t) Dictum est suprà Liberalitatem esse mixtam virtutem, duplicem inclinationem habentem, alteram ad moderandum passiones circa divitias, alteram ad largiendum. Huic ergo mixtæ virtuti duo quoque mixta vitia opponuntur, nempe Prodigalitas, & Avaritia, sive Illiberalitas. Prodigalitas mixta est ex defectu affectionis erga divitias, habens erga illas minorem solicitudinem, quàm deberet; & ex excessu largitionis, plus debito divitias largiendo.

Avaritia mixta est excessu affectionis in divitias, nimirum in eas amorem, & desiderium, ac delectationem habens; & ex defectu in largiendo. Itaque tum Prodigalitas, tum Avaritia opponuntur Liberalitati, utraque secundùm excessum, & defectum, sed diverso modo, ut dictum est. Solet autem interdum Avaritia sumi pro immoderata acceptione, & conservatione divitiarum, quatenus ex acquiruntur ultra debitum, aliena surripiendo, vel retinendo, & secundùm hanc acceptionem Avaritia opponitur Justitiæ commutativæ, seu Justitiæ, ad quam spectat facere justum Arithmeticum.

(t) *Arist. 4. eth. c. 1. S. Tho. 2. 2. q. 118. a, 4. & q. 119. ar. 1.*

De vitiis Magnificentiæ oppositis.

9. (u) Magnificentiæ objectum, ut suprà dictum est, est opus magnum ob finem honestum, & magni sumptus, prout magno operi faciendo congruunt. Contingit autem ab hac objecti mediocritate recedere tum per defectum, intendendo parvos sumptus, seu parum pro opere faciendo consumere: ad quam intentionem consequitur parvum opus: tum per excessum, excedendo in sumptibus proportionem, quam debent ad opus habere secundùm rectam rationem. vitium per defectum Parvificentia nominatur, vel indecora Parsimonia: vitium per excessum græcè Βαναυσία Banausia dicitur, id est, fabrilis, & vilium opificum in sumptu faciendo indecentia, vel ἀπειροκαλία Apirocalia, id est, elegantiæ inscitia, seu vacuitas honestatis, ac decori.

De Adulatione, ac Litigio.

10. (x) Affabilitati, quæ jucundum honestis in alies officijs convictum intendit, duo vitia opponuntur, Adulatio, ac Litigium. Adulatio, excedit in delectando verbis, vel factis in communi conversatione. Contingit autem multis modis excedere. 1. Cùm propter aliquod bonum exequendum, aut malum vitandum, debet quis contristare potius alios, quàm delectare. 2. Cùm laudantur res malæ, aut non certæ. 3. Cùm ex laude timetur inanis gloria. 4. Cùm delectatio adhibetur sola intentione de-

(u) *Arist. 4. eth. c. 2. S. Thom. 2. 2, q. 135.*
(x) *Arist. 4. eth. c. 6. S. Tho. 2. 2, q. 115. & 116.*

lectandi,

lectandi, nullo fine honesto, & qui ita delectat appellatur Placidus. 5. Cùm delectatio adhibetur intentione lucri, & qui ita delectat dicitur Blandus, & Adulator, strictè sumpto adulationis nomine.

Litigium deficit à medio affabilitatis; estque vitium, quo quis contrariatur iis, quibus convivit, neque veretur eos contristare, non ex defectu amoris, quia talis contradictio pertineret ad discordiam, sed tantùm quia non curat contristare.

De Mendacio, Simulatione, Jactantia, Ironia.

11. (y) Potest quis veracem se alteri exhibere aut circa seipsum, præseferendo dictis, vel factis talem, qualis revera est: aut circa alia, ita sermone, vel factis significando ea esse, qualia verè sunt, aut saltem qualia ab ipso putantur esse. Vitium, quo quis significat verbis se, vel alia alio modo se habere, quàm re vera se habeant, Mendacium appellatur. Hoc idem si non verbis, sed factis indicetur, Simulatio nominatur. Requiritur autem ad formalem rationem tum mendacii, tum simulationis, voluntas enunciandi, & significandi falsum, ea voluntate posita tum mendacium, tum simulatio vitia formaliter sunt: quia contra rectam rationem est sumere signa externa, quæ instituta sunt ad cogitationes indicandas, ad aliud significandum, quam cogitatur, idque animo fallendi. Cùm autem veritas medii cujusdam rationem habeat, contingat autem vel eam transgredi in majus, addendo ei aliquid falsum; vel ab ea deficere in minus, detrahendo ali-

(y) *Arist. 4. eth. c. 7. S. Th. qu. 2. q. 110. 111. 112. 113.*

quid à vero: inde fit, ut duo sint mendacii, & simulationis genera, alterum per defectum; vitium quo quis peculiariter circa seipsum excedit, majora de se verbis enunciando, quàm revera ea sunt, peculiari nomine Jactantia dicitur. Id si factis fiat, dicitur Arrogantia: Simulatio autem illa, qua quis simulat personam alterius, ut cùm peccator simulat personam Justi, appellatur Hypocrisis: vitium, quo quis à veritate deficit minora de se verbis enuncians, Ironiæ nomen habet: Dissimulationis, si idem factis significet.

De Scurrilitate, ac Rusticitate.

10. (x) Urbanitas, cujus objectum sunt Joci concinni, & secundùm rectam rationem, media est inter Scurrilitatem, & Rusticitatem. Scurræ sunt, qui sibi modum in ridiculis non adhibent, vincunturque cupiditate ridicula dicendi: quare, ut risum moveant, nec sibi parcunt, nec aliis: taliaque in se, ac alios dicunt, qualia honesti hominis aures non ferant. Agreste contrà, & Insulsi, nec ipsi quicquam festivè dicere queunt; & iis, qui dicunt, stomachantur.

IX. PROPOSITIO.

De Justitiæ subjecto.

Subiectum Justitiæ voluntas, non solùm humana, sed (a) *etiam divina.*

(x) Arist. 4. eth. c. 8. (a) S. Th. 1. 1. contra g. c. 93. rat. 5. & 1. p. q. 21. a. 1.

Justi-

1. Justitiam esse in voluntate probatur 1. Quia Arist. 5. eth. c. 1. ait Justitiam nominari ejusmodi habitum, quo homines juste agunt, voluntque justa. 2. Quia suprà Prop. 4. dictum est Justitiam esse habitum, quo quis constanti, ac perpetua voluntate Jus suum unicuique tribuit. quod etiam habetur in Justitiæ definitione apud Ulpianum in l. Justitia ff. de Just. & Jur. 3. Quia voluntas tendere potest per actum ad objectum Justitiæ, nempe ad æqualitatem faciendam cum altero, & ad bonum alienum. ergo ex tali actu relinquitur habitus in voluntate, ac facilitas ad superandam difficultatem, quæ in justo alteri reddendo solet accidere. Excluditur porro à ratione subjecti Justitiæ sensus, non solùm ex eo, quod nulla formaliter virtus potest esse in sensu ob rationem allatam q. 1. Sed etiam quia Justitia inclinat ad bonum alienum, reddendo justum alteri debitum, ut debitum alteri est; cùm tamen sensus semper inclinet ad bonum proprium.

Dices; Retardatur homo à reddendo alieno per passiones erga bonum proprium; ad virtutem autem spectat cohibere passiones; passiones autem sunt in appetitu sensitivo; ergo & Justitia, quæ frenat passiones retardantes à reddendo alieno, est in appetitu sensitivo.

Respon. 1. Passiones, quæ sunt in appetitu sensitivo, cohiberi per imperium, & actum rationis; quia eadem est anima, quæ concurrit ad actus rationis, & ad actus sensus; quare per actus rationis rectos excitatur, ut moderatos efficiat actus sensus: actus autem sensus moderati producunt habitum moderatum quia facilitat ad similes actus; talis autem habitus non est formaliter virtus ut diximus q. 1. 2. Dicendū Passiones, quæ retardant à reddendo alieno, non cohiberi ab actu, & habitu Justitiæ; sed

ab actibus, & habitibus aliarum virtutum, quæ versantur circa passiones, virtutes enim, ut dictum est q.1. connexionem habent inter se; & ad expeditè exercendum actus unius virtutis circa omnem materiam illius virtutis, necessarium est concurrere alias virtutes, unamquamque circa objectum suum; quod, si ex non concurrerent, ei moderationem adhibendo, impediretur rectum exercitium illius virtutis. Non est ergo necessarium ponere justitiam in appetitu sensitivo.

2. Cùm autem dicimus Justitiam esse in voluntate non solùm humana, sed etiam divina; non solùm intelligimus de habitu inclinante ad actum complacentiæ erga Justum; per quem actum placeat Justum exerceri sive à nobis, sive ab aliis: sed intelligimus etiam de habitu inclinante ad exercendum justum. ut ergo intelligatur in quibus possit esse talis habitus, videndum est quis exercere possit Justum. ut, quia Justum distributivum non solùm exercere potest Princeps, quatenus ipse distribuit sua, vel communitatis bona inter subditos secundùm proportionem Geometricam; sed possunt etiam exercere ipsi subditi, quibus ea bona distribuuntur, quatenus non plus ex iis bonis quisq; accipit, quàm ei debeatur secundùm proportionem Geometricam, & si quid plus accipiat, reddit alteri, cui debetur: inde fit, ut Justitia distributiva non solùm possit esse in principe, sed etiam in subditis. Quod autem ad divinam voluntatem attinet, ut intelligamus qua ratione in ea sit Justitia, sciendum est 1. Virtutes non esse in Deo per modum habitus: quia habitus est accidens quoddam, & compositionem facit cum subiecto, in quo est: at in Deo neque ullum accidens est, neque

ulla

ulla compositio. Sunt ergo virtutes in Deo per modum Attributorum, id est, sunt perfectiones quædam nullam imperfectionem includentes, sola nostra ratione, nostrisque conceptibus ab ipso Deo, & inter se distinctæ. 2. Sciendum ex dictis suprà, Justitiæ virtutem, ut Justitiæ virtus est, specificari, ac formaliter esse talem ex ordine, seu quasi ordine ad justum alteri debitum. ut ergo in eo, qui reddit aliquid alteri, sit vera Justitiæ ratio, necessarium est, ut inter ipsum, & eum, cui aliquid redditur, sit vera alteritas; & in eo, cui aliquid redditur, sit vera exigentiæ ratio ad id quod sibi redditur, ut id, quod redditur, sit verè ei debitum. Atque hæc satis esse videntur ad veram rationem Justitiæ: quia hæc sufficienter eam distinguunt & à virtutibus, quæ non sunt ad alterum, & à virtutibus, quæ licèt sint ad alterum, non tamen habent in suo objecto veram rationem justi debiti, sed tantùm debitum decentiæ. vera ergo Justitia est, si hæc adsint; etiam si inter eum, qui reddit aliquid alteri, & eum, cui redditur, non sit omnimoda alteritas, dummodo sit vera alteritas secundùm ea quæ dicta sunt Prop. 3. §. 5. etiam si is, qui reddit aliquid alteri, non habeat veram rationem debiti ad reddendum, modo res ipsa sit verè debita ei, cui redditur. His positis intelligitur qua ratione in Deo sit vera Justitiæ ratio. Quamvis enim creaturæ intellectuales non habeant omnimodam alteritatem à Deo; quia quidquid sunt, Dei sunt: habent tamen veram alteritatem, quatenus suppositis distinctæ à Deo sunt, & quatenus dominium habent in suas actiones ratione liberi arbitrii, multáque Deus relinquit earum arbitrio. & quamvis Deus ex se nullam habeat rationem debiti ob absolutum dominium, quod habet in res omnes; multa tamen possent esse rebus

bus ipsis debita, sive ex lege naturali, quia ea exigunt naturæ rerum; sive ex Dei dono, quo à Deo ea tributa sunt creaturis, sive ex Dei pacto cum creaturis ex quo pacto creaturæ acquirunt aliquod dominium in illa. est ergo in Deo tum justitia legalis, quatenus tribuit creaturis ob bonum universi ea, quæ creaturarum naturæ exigunt, quæ exigentia est lex naturalis; tum Justitia distributiva, quatenus unicuique creaturæ tribuit ex suis bonis dona secundùm uniuscujusque dignitatem, & meritum, servando in distributione proportionem Geometricam; tum Justitia commutativa, quatenus ex pacto quod interdum ob suam bonitatem Deus init cum suis creaturis, reddit ratione actionum sibi à suis creaturis exhibitarum juxta pactum initum, præmium illis actionibus debitum, servando quandam proportionem arithmeticam; & quatenus culpas vindicat, & pœnas peccantibus injungit secundùm demerita; & quatenus suis legibus, & præceptis jubet, ac ipse curat ut fiat Justum commutativum inter homines. Porro summa ratio dominii quæ semper in Deo est ad res creatas, quantumvis eas promittat, & donet creaturis, & dominium, quod habet ad Jus, quod habent creaturæ ad alias res, quatenus ab ipsomet Deo illud est, & dominium quod semper habet in ipsas creaturas, quibus aliquid donat, & cum quibus paciscitur, non tollit, ut paulò antè dictum est, veram rationem Justitiæ in in Deo: quia semper est aliqua vera ratio alteritatis inter Deum & creaturas, ut suprà explicatum est, & vera ratio debiti inter creaturas, & res, quæ eis tribui debent: ergo est vera ratio justi. ergo vera ratio Justitiæ in faciente tale justum, id est, in Deo. Summa autem ratio dominii, quæ est in Deo, solum facit, ut Justitia, quæ est in Deo, sit eminentioris

rationis,

rationis, quàm in creaturis, & sine ulla imperfectione, quæ oritur ex limitatione dominii, & translatione in alterum. (A Deo enim, & ex ejus libera voluntate est dominium, quod habent creaturæ in alias res: & quamvis Deus tribuat tale dominium creaturis, adhuc ipse remanet Dominus ejus dominii.) Confir. Quia Resp. quæ exercet veram Justitiam distributivam, & interdum commutativam cum subditis, adhuc habet jus quoddam in bona, quæ ex Justitia subditis tribuit, quantumvis illis tribuat; quatenus semper habet rationem totius respectu subditorum, ac proinde eorum bona semper sunt Reip. debita ad ipsius conservationem, quamquam Resp. tribuendo bona subditis privat se peculiari quadam ratione dominii in ea bona; quod non contingit cum Deus tribuit bona, & dominium creaturis.

QUÆSTIO TERTIA.

De Fortitudine.

Quoniam dictum est de virtutibus, quæ circa actiones sunt, & alterum spectant; dicamus nunc de iis, quæ circa passiones versantur, ac proinde sunt in primis ad bonum ipsius agentis. Proprium enim agentis rationalis bonum est recta ratio: à quo bono removeri solet homo per immoderatas passiones. quare virtutes, quæ circa moderandum passiones versantur, circa ipsius agentis bonum sunt. (a) Duo autem sunt, à quibus maximè removeri solet homo à bono rationis, nempe pericula

(a) S. *Tho.* 2. 2. *q.* 123. *a.* 1. *&* 4.

alicujus

alicujus magni mali per passionem timoris, & sensibile maxime delectans per passionem delectationis. ad obsistendum primo est virtus Fortitudinis; ad moderandum autem passiones circa secundum est Temperantia. de quibus virtutibus deinceps agendum; ac primum de Fortitudinis ratione, objecto, materia, virtutibus affinibus, partibus integrantibus, vitiis contrariis.

PRIMA PROPOSITIO.

De Ratione formali Fortitudinis.

Fortitudo, est virtus moralis, per quam animus erga ea, quæ sunt acerba, & terribilia, ita rectè se habet, ut neque pravè timendo, neque temerè audendo discedat propter illa ab officio rationi rectæ consentaneo; sed in illo se contineat, sive timendo, & cavendo, sive audendo, & opus arduum aggrediendo prout recta ratio præscripserit.

FOrtitudinis vox tribus modis sumi solet. 1. Pro corporis robore. qua ratione Fortitudo virtus quædam corporis appellatur. 2 Pro animi firmitate. ita fortitudo conditio quædam est omnis virtutis: firmitas enim in virtute requiritur, ut docet Arist. 2. eth. c.4. 3. Pro animi firmitate in gravibus periculis sustinendis. atque ita virtus quædam particularis est, cui convenit definitio in Propositione tradita; quæ colligitur ex Arist. 2.eth.c.7. & 3. eth. c.6.& 7. Quod autem particularis virtus sit, probatur: Quia in objecto, ut ex definitione patet, peculiarem rationem habet distinctam à rationibus objectorum, circa quæ versantur aliæ virtutes: habet etiam peculiarem rationem tum laudis, tum difficultatis.

II. PROPOSITIO.

De Fortitudinis objecto, ac materia.

Fortitudinis objectum est Firmitas animi in non discedendo à rectâ ratione propter res acerbas. Ipsæ autem res acerbæ, ac terribiles Fortitudinis materia sunt.

1. OBjectum Fortitudinis dicimus actus illos, circa quos Fortitudinis habitus versatur, inclinans ad illos. ii autem sunt, quibus firmatur animus ne discedat ab officio rectæ rationis propter res acerbas, ac terribiles. Hi actus sunt animi firmitas, de qua agimus. Quorum duo sunt genera. Alterum eorum, circa quos immediatè versatur habitus Fortitudinis eliciens illos, quales sunt actus appetitus rationalis, quibus nolumus ob res acerbas recedere ab officio rationis aut volumus per alios actus tum ejusdem appetitus, tum aliarum potentiarum firmare animum contra res acerbas. Alterum eorum, circa quos mediatè Fortitudo versatur; quales sunt passiones circa res acerbas, ac terribiles, cum eæ passiones rectæ moraliter sunt, ac mediocritatem habentes. (*b*) Sunt autem eæ passiones moraliter rectæ, quæ ex electione procedunt, & ob finem moraliter honestum. Is autem honestus finis in Fortitudinis actibus duplex est; alter intrinsecus, seu propinquus, nempe Bonum rationis, quatenus actus Fortitudinis fiunt, ne mala, & pericula nos dimoveant ab officio. quo fine si actus fortitudinis careant, non erunt veri actus fortitudinis, sed per

(*b*) *Arist. 3. eth. c. 8.*

quamdam

quamdam similitudinem; ut accidit iis, qui moventur ad operandum fortia, vel quia ignorant magnitudinem periculi; vel quia sperant se evasuros, propter experientiam, vel peritiam; vel ex ira; vel ex tristitia, quam cupiunt depellere; vel propter aliquod temporale commodum consequendum, &c. Alter finis potest esse extrinsecus, & remotus; quale est officium alicujus alterius virtutis. spectat enim ad Fortitudinem victoria, & contemptio earum rerum acerbarum, quæ in acquisitione, & conservatione cujusque virtutis oportet subire. Finis etiam extrinsecus Fortitudinis esse potest acquisitio cœlestis felicitatis, & incolumitas à suppliciis æternis. Porro passiones, quibus animus in officio continetur obsistendo malis, & periculis, quæ ab illo deterrere possunt, ac proinde circa quas Fortitudo versatur, eæ sunt. 1. Moderatus (*c*) Timor, quo caventur pericula, ne ab his temere oppressi recedamus ab officio. 2. (*d*) Audacia moderata, qua aggredimur opus arduum ad tollendum malum ipsum terribile. 3. Omnes passiones, quibus juvamur ad reprimendum timorem, ut resistamus malis sustinendo, & perferendo: (*e*) quod est præcipuum in Fortitudine: quia præcipua passio removens animum ab officio propter malum, est Timor. Cum timore autem numerandus etiam Dolor est. Ex quibus intelligitur quæ sint ad Fortitudinis virtutem acquirendam, & conservandam remedia, nempe illa eadem, quæ ad sedandas & excitandas passiones, atque in primis ad frænandum timorem valere diximus supra q. 1. prop. 2. §. 12.

(*c*) *Arist. 3. eth. c. 7.* (*d*) S. *Th. 2. 2. q. 123. art. 3.*
(*e*) *Arist. 3. eth. c. 9.*

2. (*f*) Ma-

2. (f) Materia Fortitudinis omnibus iis rebus continetur, quæ sunt acerbæ, ac terribiles. Potest enim animus ob quamcunque rem acerbam, ac terribilem deterreri, & avocari ab officio rectæ rationi consentaneo. Ad Fortitudinem autem spectat firmare animum contra res acerbas, ac terribiles; ut ex dictis q. 1. intelligitur, ubi egimus de distinctione virtutum Cardinalium. Præcipuum aunt inter res terribiles est Mors. quare præcipua Fortitudinis materia mors est, & ea quæ mortem inferunt. & quia perfecta virtus censeri non debet ea, quæ circa sui objecti præcipuam materiam versari non potest: ideo Aristoteles 3. eth. c. 6. docet Fortitudinem proprie illam esse, quæ circa mortem versari potest, & ea, quæ proxime inferunt mortem. Proprie Fortitudinem eam dixit, non quod quæ circa alia terribilia versatur, non sit vera fortitudo: sed quod non sit talis, quæ circa præcipuam Fortitudinis materiam versari possit, ac proinde non sit verè ea fortitudo, quæ circa talem materiam versari potest, quæque est perfecta Fortitudo. Præterea, quia præclara mors, quæ in bello oppetitur, maximam honestatem habere solet, qua caret Fortitudo, quæ circa alias materias versatur: ideo Aristoteles nonnisi ei Fortitudini nomen Fortitudinis tribuit, quod aliàs quæcunque Fortitudo huic comparata non videatur honestatis specimen habere. ob hanc rationem nos dicere possemus solam eam Fortitudinem esse, quæ circa mortem pro CHRISTI fide obitam versatur, (g) quam Martyrium appellamus: quia in nulla Fortitudine majus honestatis specimen elucet. sustinentur enim cruciatus,

(f) S. Tho. sup. a. 5. (g) S. Tho. sup. q. 124. ar. 2.

&

& mors ipsa libenter suscipitur in Martyrio pro Dei gloria, pro ejusdem veritate tuenda, cum repræsentatione mortis Christi filii Dei per realem similitudinem cum illa.

III. PROPOSITIO.

De Virtutibus Fortitudini affinibus.

Virtutes Fortitudini affines octo: Fiducia, Magnanimitas, Securitas animi, Magnificentia, Patientia, Longanimitas, Perseverantia, Constantia.

1. HÆ virtutes Fortitudini dicuntur affines, quia similitudinem quamdam habent cum illa. Possunt etiam dici partes potentiales illius tum quia cum similitudinem habeant cum illa, minorem tamen perfectionem, quàm illa; videntur ad illius perfectionem esse quasi in potentia: tum quia, cum versentur circa minus difficilia, quàm circa quæ versatur Fortitudo, disponunt animum ad fortitudinem; dispositio autem dicitur esse in potentia ad formam, ad quam disponit. Hæc autem ita se habent, si Fortitudo sumatur ut est quædam specialis virtus, ut in prima Propos. explicatum est. nam, (h) si Fortitudo latiore significatione sumatur pro habitu firmante hominem, ne recedat ab officio rectæ rationis non solum ob res acerbas ac terribiles, sed etiam ob quæcumque molesta, & difficilia, ut indicavimus supra q.1.propos.6.§.4. ita Fortitudo genus quoddam est ad fortitudinem presse sumptam,

(h) *S.Tho.2.q.123.a.2.& q.128.a.1.*

&

& ad octò virtutes in hac 3. Prop. numeratas, hæ igitur octo virtutes ad Fortitudinem genericè sumptam comparatæ non partes potentiales sunt, sed subjectivæ, seu species illius.

2. Numeramus inter virtutes fortitudini affines Magnificentiam, quam q. 2. numeravimus cum virtutibus Justitiæ affinibus, quia Magnificentia mixta virtus est; quæ quatenus respicit alterum, nempe Remp. & familiam, ob quarum ornamentum sumptuosi sumptus fiunt, similis est Justitiæ; quatenus autem circa passiones versatur firmans animum, ne sumptuum difficultate deterreatur ab operibus magnificis aggrediendis, & perficiendis, similitudinem habet cum Fortitudine.

De Fiducia.

3. (i) Fiducia seu Fidentia, est virtus perficiens animum ut sit promptus ad aggrediendum opera ardua. videtur autem habitus Fiduciæ produci in appetitu rationali ex frequentatis actibus appetitionis erga bonum futurum arduum possibile ad obtinendum, cogitatum ut possibile ad obtinendum ex vehementi opinione facultatis ad obtinendum; sive ea facultas putetur esse in se ipso, sive in alio. Hæc virtus est similis Fortitudini, quia firmat animum contra difficultates, quæ includunt quamdam rationem mali, quatenus habent defectum facilitatis ad obtinendum bonum. Differt à Fortitudine tum quia immediatus actus fortitudinis est voluntas non recedendi ab officio rationis ob res acerbas: actus autem Fiduciæ est voluntas

(i) S. *Tho.* 2. 2. *q.* 129. *a.* 6.

exequendi

exequendi opus arduum, quia adest facultas ad exequendum, tum quia materia Fortitudinis, ut Fortitudo est, sunt res acerbæ, ac terribiles: Fiduciæ autem materia extenditur ad quæcumque difficilia ad obtinendum, non solùm ad difficultatem, quam afferunt res acerbæ, ac terribiles, superandam, quòd adsit facultas ad superandum.

De Magnanimitate.

4. (*k*) Magnanimitas perficit animum; ut circa res magnas, & præsertim circa honores magnos recte se habeat, nempe eos prout expedierit, vel contemnendo, vel moderate curando. Immediatus actus magnanimitatis est appetitio rerum magnarum secundum rectam rationem. oritur autem is actus ex consideratione adjumentorum, nobilitatis, ornamentorum. ac in primis virtutum, quæ sunt in animo, cui proinde convenit appetere magna. Ratio formalis objecti Magnanimitatis est Magnitudo rationi rectæ congruens (*l*) quare motivum cur Magnanimitas in quacumque materia magna appetat, est quia magna, & ardua sunt. quod motivum, ut patet, est distinctum à motivis aliarum virtutum, & objectis formalibus earum: quæ magnitudinem non spectant ut rationem formalem, sed ut materialem, sive ut circumstantiam suorum objectorum; in quibus ut rationem formalem spectant peculiarem rationem honestatis, quam habent. Porrò quia magnus honor, est magnorum operum, & magnæ virtutis præmium,

(*k*) *Arist.4.eth.c.3.* S.*Thom.2.2.q.129.* (*l*) S *Tho.in 4 eth.c.3.*

ac

ac proinde quid ultimum in rectis actionibus: ideo inter objecta materialia magnanimitatis honores magni præcipuum locum obtinent, obtinent etiam principem locum ratione arduitatis: quia valde difficile est moderari appetitionem honorum, quippe ad quos magno impetu fertur appetitus rationalis, atque ob hanc causam Magnanimitas est Fortitudini similis, quia ut ille contra res acerbas; ita hæc contra arduitatem in honorum appetitione moderanda & rebus magnanimis aggrediendis animum firmat, ne recedat ab officio rationis. Circa mediocres honores cum moderatè appetuntur, est alia virtus Philotimia: de qua Arist. 4. eth. c. 4. licet eam non nominet; quæ ita se habet ad Magnanimitatem, sicut Liberalitas ad Magnificentiam.

5. Oriuntur autem ex Magnanimitate multi effectus, quos numerat Arist. 4 eth. c. 3. 1. Moderatio appetitus honorum, ut ii neque multum appetantur; neque plus æquo refugiantur; si deferantur, adhibeatur modus in lætitia, & aliis animi motibus. 2. Tum in prospera, tum in adversa Fortuna moderatè se gerere. quia magnanimus nihil magni æstimat, nisi quod re vera magnum est; quæ autem fortunæ casibus subjiciuntur, parua sunt. 3. Existimare se dignum honore magno. virtus enim & magna dona Dei, quibus se magnanimus præditum videt, honore magno digna sunt. 4. Magnis periculis sese offerre, ubi de rebus præclaris agitur. 5. Acceptum beneficium majore beneficio compensare. 6. Neminem, aut vix quemquam rogare. 7. Libenter alteri operam dare, atque inservire, 8. Cum principibus, & opulentis præstare se magnum; & excelsum; cum mediocribus, & infimis modestum, & moderatum.

9. Non

9. Non se locis, aut functionibus honoratioribus ingerere. 10. Cunctari, & quietem agere; nisi res magna sit proposita. 11. Apertè odisse, & apertè amare; quia timentis est fronte occultare sententiam. 12. Apertè omnia dicere, & agere. 13. Uti dissimulatione in vulgus. non enim quærit magnanimus vulgi laudes. 14. Non posse alterius nutu vivere, nisi amici. 15. Non facilè admirari. nihil enim magnanimo magnum est in rebus humanis. 16. Non meminisse injuriarum. 17. In rebus, quæ necessariò perferendæ, vel quæ exiguæ sunt, non esse querebundum, aut supplicem: quia est animi nimiùm rebus humanis addicti. 18. Malle possidere res honestas, quàm fructuosas. hoc enim magis proprium est hominis se ipso contenti. 19. Habere motum tardum, vocem gravem, orationem stabilem, ac sedatam: quia festinare non solet qui paucis rebus studet; nec vehementer contendere, cui nihil magnum esse videtur. omnes autem hi effectus, virtutis Magnanimitatis effectus sunt, si secundùm rectam rationem fiant: ut explicat S. *Thom.* 2.2.*q.*129. *ar.*3. *ad* 5.

De Securitate.

6. (*m*) Securitas placat, & confirmat animum adversus nimias anxietates, & curas solicitas, quas solet timor concitare. Actus Securitatis est, nolle cogitare, neque sollicitum esse de modo vitandi pericula; quod putetur talis solicitudo non necessaria, neque conformis rectæ rationi. Cum autem solicitudo oriatur ex timore; qui ut ait Aristot. 2. Rhet. c. 5. facit homines consiliativos, quatenus sci-

(*m*) S. *Th.* 2.2.*q.*129. *ar.*7.

licet

ſicet curam habent quo modo vitare poſſint ea, quæ timent: ea, quæ valent ad timorem frænandum, valent etiam ad ſecuritatem concipiendam.

De Patientia.

7. (*n*) Patientia firmat animum adverſus triſtitias, ne ab illis oppreſſus deſerat officium rationis. Conſentit in omnibus cum Fortitudine, præter quàm in eo quod materia Fortitudinis ſunt res acerbæ, ac terribiles, præſertim mortis pericula; Patientiæ autem materia ſunt cetera mala, his majoribus exceptis. Effectus ſunt, Triſtitiæ ſublatio, vel moderatio ſecundùm rectam rationem, ut rationem plenè ſui compotem relinquat, & actus aliarum virtutum non impediat: Externarum actionum, verborum & geſtuum moderatio, ut per triſtitiam nihil indecori foris agatur.

De Longanimitate.

8. (*o*) Longanimitas firmat animum contra moleſtiam, quæ percipitur ex rei expectatæ dilatione. videtur hæc virtus eſſe ſpecies quædam patientiæ; quia verſatur circa ſpeciem ejus materiæ, circa quam verſatur patientia, nempe circa moleſtiam ex dilatione rei expectatæ; quæ moleſtia eſt ſpecies quædam Triſtitiæ, quæ eſt materia Patientiæ, aut dicendum Longanimitatem eſſe diverſam virtutem à Patientia; quod Longanimitas verſatur circa triſtitiam de dilatione rei ſperatæ, Patientia verò circa reliquas triſtitias.

(*n*) S. *Tho.* 2. 2. *q.* 156. (*o*) S. *Thom. ſup. ar.* 5.

De

De Perseverantia.

9. (p) Perseverantia perficit animum ut persistat in recta ratione usque ad operis finem, firmatque illum contra molestiam ex diuturnitate temporis in opere bono perficiendo, aut acquirenda virtute. est specialis virtus, quia speciale objectum habet circa quod afficitur, nempe continuationem usque ad finem; quod per se honestum est & peculiarem laudem meretur.

De Constantia.

10. (q) Constantia cum Perseverantia convenit in fine, qui est Firmiter persistere in bono usque ad finem. Differunt secundùm ea, quæ difficultatem afferunt ad persistendum in bono. Nam Perseverantia firmat animum contra molestiam, seu difficultatem, quæ provenit ex diuturnitate actus; Constantia verò contra difficultatem ex quibuscumque aliis impedimentis.

IV. PROPOSITIO.

De partibus Fortitudinis integralibus.

Partes Fortitudinis integrales sunt, Fiducia, Magnanimitas, Securitas, Magnificentia, Patientia, Longanimitas, Perseverantia, Constantia; quatenus hæ, sive virtutes à Fortitudine distinctæ, sive ipsumet Fortitudinis perfectiones, circa Fortitudinis materiam versantur, quæ sunt res acerbæ, ac terribiles.

(p) S. Tho. supr. q. 137. (q) S. Tho. supr. Ar. 3.

1. Fiducia,

1. Fiducia, Magnanimitas, &c. possunt duobus modis versari circa res acerbas, ac terribiles, quæ sunt fortitudinis materia. 1. Spectando in ea materia suum objectum formale; ut si Fiducia spectet bonum aliquod arduum possibile ad obtinendū; Magnanimitas magnam acerbitatem, aut magnam patientiam, vel constantiam in acerbitate toleranda &c. Hoc modo hæ virtutes, licèt à fortitudine distinguantur ob distinctas rationes formales, quas spectant; quia tamen habent eandem rationem materialem cum Fortitudine, & earum operationes adjunctæ operationi Fortitudinis reddunt illam omni ex parte perfectam: ideo quasi quædam partes integrales se habent ad Fortitudinem comparatæ, ut manus, & pedes ad corpus humanum. 2. Fiducia, Magnaninitas, &c. possunt circa Fortitudinis materiam versari, non spectando suas rationes formales, sed formalem rationem, & honestatem objecti Fortitudinis, nempe firmitatem animi in non decedendo à recta ratione propter res acerbas. & (r) hoc modo hæ virtutes non sunt per se distinctæ à Fortitudine, sed sunt perfectiones quædam illius. Ita Fiducia est promptitudo quædam in ipso opere Fortitudinis, quo rem arduam aggredimur, periculo contempto. Magnanimitas, est eadem promptitudo, cùm fuerit insigniter magna. Securitas, quædam operis fortis perfectio, quæ indicat illud proficisci ab interiore animo minimè perturbato. Magnificentia, splendor quidam ejusdem operis, cùm per illud intenditur effectus aliquis insignis. Patientia, quædam ejusdem operis alacritas minimè succumbens tristitiæ propter periculū, aut malum urgens. Longanimitas quædā in opere Fortitudinis æ-

(r) *S. Tho. 2. 2. q. 128 a. 1.*

quabilitas, etiam si non cito finem intentum assequatur. Perseverantia, quædam ejusdem operis continuatio. Constantia, quædam illius firmitas, minimè cedens ullis obstaculis.

V. PROPOSITIO.

De vitiis contrariis Fortitudini, & virtutibus ei affinibus.

Fortitudini quatuor opponuntur, Timiditas, Ignavia, Intimiditas, & Audacia; Magnanimitati, Præsumptio, Ambitio, Inanis gloria, Pusillanimitas; Patientiæ, Insensibilitas, & Impatientia; Perseverantiæ, Pertinacia, & Mollities animi.

(s) 1. FOrtitudo versatur circa timores, & audacias moderatas, ut in Prop. 1. dictum est, cum eæ sunt circa res acerbas, & terribiles. ergo respectu Timoris moderati habet Fortitudo duo vitia contraria, alterum per excessum, nempe Timiditatem; cùm quis timet quod non oportet, aut sicut non oportet, aut quando non oportet. quæ Timiditas, (idemque de tribus aliis vitiis dictum sit) opponitur Fortitudini quatenus est circa res acerbas; quatenus autem est circa minora mala, non Fortitudini sed aliis virtutibus opponitur. Alterum vitium per defectũ, Intimiditas; cùm quis non timet quando timendum, aut quæ timenda. Quatenus autem Fortitudo circa Audacias versatur, habet secundùm defectum oppositam Ignaviam, quæ est species quædam Timiditatis; qua quis contra rationem rectam

(s) *Aristot. 3. eth. 7. S. Th. 2. 2. q. 126. & 127.*

timet

timet labores, eosque refugit, quos subire oporteret; seu cùm non audet quod debet, & quando debet. Secundùm excessum autem habet Fortitudo oppositam Audaciam, seu Temeritatem, cùm quis temerè audet, & aggreditur quod non debet, aut sicut non debet, aut quando non debet.

2. Quæ vitia Fiduciæ, & Securitati opponantur tum secundùm excessum, tum secundùm defectum, facilè intelligi possunt ex iis, quæ de vitiis Fortitudini oppositis dicta sunt, & ex iis, quæ infrà dicentur; quamvis peculiare nomen non habeant.

3. Magnanimitati opponuntur tria vitia secundùm excessum, Præsumptio, Ambitio, Inanis gloria; unum secundùm defectum, Pusillanimitas. (*t*) Præsumptio, sive Præfidentia est, qua quis aggreditur aliquid, vel paratus est aggredi, quod est supra vires, quas habet. est aliud genus Præsumptionis, quia quis nimirum fidit de suis viribus; quod vitium opponitur Fiduciæ per excessum. Inter vires autem nnmeranda etiam sunt auxilia, quæ habentur ab aliis.

(*u*) Ambitio est, qua expetitur honor, aut qui non debet expeti, ut major, quàm propria excellentia meretur; aut sicut non debet; aut inutiliter, referendo ad utilitatem nullam propriam, vel aliorum.

(*x*) Inanis gloria expetitur, id est, opinio & laus, sive de simulata excellentia; sive maior, quàm par sit, sive apud eos, apud quos non debet quæri; sive non apponendo finem ultimum debitum. opponitur Magnanimitati, & Philotimiæ, quæ circa Honores versantur, atque etiam Gloriam. Distinguitur

(*t*) *S. Tho. 2. 2. q. 130.* (*u*) *S. Thom. ſùp. q. 131.*
(*x*) *S. Thom. ibi. q. 132.*

autem honor à gloria: quòd gloria in notitia excellentiæ alterius, & laude, quæ verbis agitur, posita est: Honor autem in Dignitatibus, Magistratibus, & aliis testimoniis excellentiæ, quæ signis exhibentur.

(y) Pusillanimitas est, qua quis refugit ea quæ facultatem suam non excedunt; & honorem, ac gloriam contra quam recta ratio præscribit. Oritur ex opinione, qua quis omnia nimiùm magna, & suam façultatem, ac excellentiam excedentia concipit. Tollitur consideratione auxiliorum, propriæ excellentiæ, præmiorum, actionum præclarè ab aliis gestarum, & aliorum, quæ fiduciam augent, opponitur enim Pusillanimitas etiam Fiduciæ per defectum. est autem Pusillanimitas vitium, quia contra inclinationem naturalem est, quam omnes res habent ad actiones commensuratas suæ potentiæ, ut autem per præsumptionem quis excedit proportionem suæ potentiæ, dum nititur ad majora, quàm possit; ita pusillanimis deficit à proportione suæ potentiæ, dum recusat in id tendere, quod est suæ potentiæ commensuratum.

4, Insensibilitas est, qua quis neq: suis, neq, alienis malis tangitur. opponitur Patientiæ per defectum. & humanitati, & amicitiæ, & vitæ politicæ incongruum hoc vitium est. Impatientia contraria est Patientiæ per excessum; cùm quis nimiùm dolet, aut etiam ex dolore à recto discedit.

5. (z) Pertinacia est qua quis perseverat, & firmus manet in proposito sive sentiendi, sive agendi, cum non oportet, vel plus quàm oportet. Inconstantia, qua quis ab incepta bona actione desistit tædio diu-

(y) *S. Thom. ibi. q.133.* (z) *Arist.7. eth. c. 9. S. Thom. sup. q.138.*

turnitatis

turniratis. Si quis ob alia incommoda desistat, præsertim ob privationem delectationum, Mollities hoc vitium appellatur.

Pertinacia Perseverantiæ opponitur per excessum; Inconstantia, & Mollities per defectum.

QUÆSTIO QUARTA.

De Temperantia.

BRevissimè de Temperantia disputabimus eodem ordine, quo paulò ante de Fortitudine disputatum est.

PRIMA PROPOSITIO.

De Ratione formali Temperantiæ.

(a) *Temperantia, est virtus moderatrix earum passionum, quæ versantur circa delectabilia corporis secundùm sensum tactus in usu cibi, & potus, & venereorū.*

1. TEmperantia tribus modis sumi solet, 1. Pro temperie quadam, ac moderatione quam ratio actionibus, & affectibus humanis imponit. ita omnis virtus moralis Temperantia dici potest; quia omnis virtus moralis hunc effectum habet. 2. Pro virtute, quæ frænat delectationes, modum illis imponens, & motibus externis corporis. & hoc modo Temperantia est virtus quædam generica habens

(a) *Arist. l. 3. eth. c. 10. S. Th. 2. 2. q. 141. ar. 1.* sub

ub se plures species, nempe Temperantiam tertio sinodo sumptam, & virtutes illi affines, de quibus infra. 3. Sumitur Temperantia strictè pro speciali virtute, quæ frænat passiones circa maximè delectabilia, qualia sunt quæ spectant ad tactum. & secundùm hanc acceptionem Temperantiæ ratio explicatur in hac propositione, & ab Arist. 3. eth c. 10. & ita sumitur secundùm communem omnium sensum, Nemo enim putatur temperans, aut intemperans, quod aspectu colorum, figurarum, picturarum, aut cantu, aut odoribus moderatè, aut immoderatè delectetur; nisi quatenus hæc incitant ad delectationes gustus, vel tactus. Ita Temperantia est specialis virtus, ut Fortitudo.

2. Dicitur in propositione (*secundùm sensum tactus.*) quia Gustatus est tactus quidam, quare ratio tactus, circa quem versantur passiones quas moderatur Temperantia, abstrahit à tactu primarum qualitatum, qui est fusus in toto animalis corpore, & à tactu saporum, qui residet in peculiari organo, & Gustatus appellatur.

3. *In usu cibi, & potus, & venereorum.*) Quamvis omnis gustatus, & omnis tactus sit Temperantiæ materia; peculiariter tamen ad Temperantiam spectat Gustatus, qui fit edendo, gluriendo, & bibendo, & tactus in usu venereorum; quia circa hæc maximè cernitur vis, & perfectio Temperantiæ; quippe cùm valde difficile sit moderari horum delectationes. sunt enim maximè ex delectationes, quæ consequuntur operationes maximè naturales, quales sunt, quibus conservatur natura individui animalis per cibum, & potum, & natura speciei per conjunctionem maris, & fœminæ. De qua re idem dicendum de Temperantia, quod de Fortitudine diximus q.3.prop.2.§.2. nempe Temperantiam versari

versari quidem circa omnem tactum, sed quia perfectissima Temperantia est, cùm potest moderari delectationes in usu cibi, potus, venereorum; ideo dici. Temperantiam versari circa hæc: ut Fortitudo dicitur ab Arist. versari circa mortem in bello, cùm tamen circa alia acerba versetur.

4. Contra ea, quæ de ratione formali Temperantiæ dicta sunt, objici possunt duo. 1. Licèt gustabilia, & venerea conveniant in ratione Tangibilis, tamen secundùm suas peculiares rationes diversa sunt. ergo diversæ virtutes sunt, quæ circa illa versantur. ergo Temperantiæ virtus non est una. 2. Ratio magis, & minus ardui in sumptibus diversificat duas virtutes, Liberalitatem, & Magnificentiam. ergo tactus in venereis, cujus moderatio habet rationem maioris ardui, quàm tactus frictionis calefactionis, & similium, quorum moderatio est multò minus ardua, debet diversificare diversam Temperantiam.

Ad 1.R. Concedendo totum argumentum. Dicimus enim unam Temperantiam non specie, sed genere: quamquam per accommodationem quamdam Philosophorum, de qua diximus suprà q. 1. prop. 6. §. 2. Temperantia est species ultima.

Ad 2.R. Eodem modo concedendo argumentum ut concessum est primum ob eandem rationem. Dicendum tamen Liberalitem nominari distinctam à Magnificentia, non tamen nominari distinctam virtutem circa alia tangibilia, quæ non sunt venerea; quia non est tam notabilis difficultas in moderanda delectatione tactus circa ea tangibilia, si ea delectatio conferatur cum delectatione venereorum; quàm notabilis difficultas est in objecto Liberalitatis comparato cum objecto Magnificentiæ.

II. PROPOSITIO.

De Temperantiæ objecto, ac materia.

Temperantiæ obiectum est Firmitas animi in non recedendo à recta ratione ob delectabilia tactus in usu cibi, potus, & venereorum. Materia proxima sunt passiones amoris, concupiscentiæ, & delectationis circa dicta delectabilia; quibus passionibus Temperantia modum imponit per actum appetitus rationalis, quo nolumus ob ea delectabilia recedere ab officio rectæ rationis, aut volumus aliis actibus firmare animum contra ea delectabilia. Materia remota est ipse externus usus delectabilium, cui modus imponitur. Remotissima materia sunt ipsa delectabilia.

1. EXplicatio hujus Propositionis eadem est cum explicatione Prop. 3. superioris quæstionis tertiæ.

2. Qua porro regula Temperantia utitur in modo imponendo suæ materiæ? Dicendũ Regulam esse ipsam hujus materiæ necessitatem, aut utilitatem ad vitam humanam; quæ necessitas, sive utilitas honestati, & moderationi non repugnet. ita docet Arist. 3. eth. c. 11. Ex quo intelligitur 1. Extra conjugium à venereis omnino abstinendum, quia ea honestati repugnant. 2. In cibo, & potu spectandam esse bonam corporis valetudinem, & mentis ad suas functiones idoneam dispositionem. Corporis autem valetudo est propter animi functiones & quia omnia sunt propter Deum, potest interdum spectari satisfactio pro peccatis ut reconciliemur Deo, eique satisfaciamus, & imitatio passionum Christi. 3. Non posse spectari solam corporis voluptatem;

tatem; quia is finis non est per se honestus, cùm per se non spectet ad hominem ut homo est.

III. PROPOSITIO.

De Temperantiæ partibus integrantibus.

(b) *Partes Temperantiæ integrantes duæ, Honestas, & Verecundiæ. Honestas est habitus inclinans ad amorem illius honesti, sed peculiaris decori, quod elucet in actionibus, ac operibus Temperantiæ. Verecundia, est habitus inclinans ad horrorem, ac timorem illius turpis, ac probro digni, quod maximè cernitur in operibus intemperantiæ.*

PArtes integrantes dicuntur alicujus virtutis eæ virtutes seu virtutis perfectiones, sine quibus non est perfectus usus illius virtutis; ut partes integrantes corporis sunt, sine quibus corpus non constat perfectum. Ita se habent honestas, & verecundia ad Temperantiam. Cùm autem honestas latiore significatione sumatur pro rectitudine, quam quælibet virtus habet, & pro conformitate actionis cum recta ratione, ac natura rationali ut rationalis est: in hac Propositione strictiore significatione sumitur, ut explicatum est, Verecundia, quam hic habitum diximus, quæque quatenus est pars Temperantiæ, est in appetitu rationali; est etiam passio, species quædam timoris, ut dictum est supra q. 1. prop. 2. §. 12.

(b) *S. Th.* 2.2. *q.* 144. & 145.

IV. PROPOSITIO.

De Temperantiæ partibus subjectivis.

(c) *Quatuor sunt partes Temperantiæ subjectæ, sive species, Abstinentia, Sobrietas, Castitas, Pudicitia.*

SPecies virtutum distinctionem sumunt ex ordine ad diversa objecta, vel materias. Materia Temperantiæ sunt delectationes tactus: quarum duo sunt genera. Quædam enim spectant ad alimentum, quod constat ex cibo, & potu; & circa cibum est Abstinentia, circa potum Sobrietas. Quædam delectationes pertinent ad vim gignendi; quarum alia est principalis ex ipso actu conjunctionis: circa quam versatur Castitas. aliæ secundariæ ex osculis, tactibus, amplexibus, & circa has est Pudicitia Sub castitate ponitur Virginitas, quæ perfecta quædam Temperantia est, per quam firmo animi proposito abstinet quis ab omni actu venereo, conservans ab omni voluntaria obscœnitate illabatam corporis puritatem, & integritatem. Quod ad Abstinentiam attinet, sciendum moderationem in usu alimenti sumendam esse ex ordine ad valetudinem corporis functionibus mentis congruentem; vel ex ordine ad subjugandum corpus spiritui, ac Deo; in quo casu potest abstinentia esse major, modò non adsit notabile valetudinis detrimentum, & quo mens reddatur ad suas functiones ineptior. corpus enim est propter animæ functiones. Circa Sobrietatem sciendum Sobrietatis nomen inte-

(c) *S. Tho. sup. q. 146. 149. 151. 152.*

dum

dum accipi generatim pro virtute Temperantiæ: interdum magis strictè pro temperantia cibi, & potus; vel pro temperantia potus cujuscumque: interdum strictissimè, & propriè pro moderatione potus valentis inebriare; & definitur, Virtus affectum, & usum potionis inebriare valentis debitè moderans.

V. PROPOSITIO.

De virtutibus Temperantiæ affinibus.

Virtutes Temperantiæ affines octo: Continentia, Mansuetudo, Clementia, Modestia, Humilitas, Studiositas, Eutrapelia, Parcitas.

DIci etiam solent hæ virtutes partes potentiales Temperantiæ. Cur affines, cur Potentiales dicantur, petenda est ratio ex præcedente q. 3. prop. 3.

(d) *De Continentia.*

1. Continentia duobus modis sumi potest. 1. Ampla significatione pro quovis habitu, qui firmat animum, ac voluntatem, contra impulsus quarumvis passionum, ne in ullum motum prolequutionis prorumpat, qui rationi rectæ consentaneus non sit. 2. Stricta significatione pro virtute, seu bona dispositione firmante voluntatem, ut se contineat in bono rationis contra impulsus concupiscentiæ, quibus ad voluptates tactus, & præsertim venereas impellitur. utrovis modo continentia sumatur, non est

(d) *Arist. 7. eth. S. Th. sup. q. 155.*

perfecta

fecta virtus, sed inchoata: quia perfectæ virtutis est non solùm voluntatem rationi conformem reddere, sed appetitum etiam sensitivum rationi subjicere, ac modum adhibere passionibus. (e) at Continentia solùm illud efficit, ut cohibeatur voluntas ne moveatur contra rationem ob impulsum passionum. ergo Contiuentia est virtus inchoata, & in potentia ad virtutem perfectam; ideo pars potentialis appellari potest respectu virtutis perfectæ, vel virtus affinis magnam habens similitudinem cum illa. Nos hoc in loco sumimus continentiam stricto modo cùm dicimus esse virtutem affinem Temperantiæ. de qua fusè disp. Arist. 7. eth.

De Mansuetudine.

2. (f) Mansnetudo virtus est moderationem statuens in appetitu vindictæ, id est, in Ira. Proxima igitur hujus virtutis materia est Ira, cui modum à ratione præscriptum veluti formam quandam imponit; ut iraſcamur quando, & cui oportet, quam ob causam, quantum, & quomodo oportet; & cùm non est iraſcendum, iram omnino comprimamus. Similis est hæc virtus Temperantiæ; quia ut illa prosequutionem delectationum tactus, ita hæc prosequutionem vindictæ frænat. Ad mansuetudinem acquirendam valent eadem remedia, quæ valere diximus ad frænandam iram supra q. 1.

De Clementia.

3. (g) Clementia convenit cum Mansuetudine, quatenus utraq; circa vindictam versatur, differt

(e) *Arist. 7. eth. c. 9.* (f) *Arist. 4. eth. c. 5. S. Th. sup. p. 157.* (g) *S. Tho. sup.*

ab

ob illa, quatenus immediata Manſuetudinis materia eſt ira; Clementiæ autem, externa punitio, quam Clementia mit gat quantum Juſtitiæ ratio patitur. & quamvis externæ punitionis moderatio ſit interdum Manſuetudinis effectus, qui conſequitur ad iræ moderationem, ob idque interdum Manſuetudo, & Clementia pro eadem virtute ſumantur: quia tamen ſæpiſſime contingit exceſſum in puniendo non oriri ex exceſſu iræ, ſed ex delectatione in oſtentando poteſtatem, & in deprimendo ſub ſe alios, ac miſeros reddendo, ita punitionis moderatio ad virtutem ſpectat aliam à Manſuetudine, nempe ad Clementiam.

Jam ſi exigenda punitione externa nulla adhibeatur mitigatio, affectus animi nolentis mitigationem adhibere, Severitas appellatur: eſt enim Severitas inflexibilis animi rigor, nihil de merita, vel ſtatuta pœna remittentis. Quæ cum virtute adhibetur, cùm bonum publicum, vel correctio delinquentis, non Clementiam, ſed Severitatem poſtulat.

De Modeſtia.

4. (*h*) Modeſtia duobus modis ſumitur. 1. Amplè pro generica virtute, qua quis intra modum, & limites ſui ingenii, ſtatus, & fortunæ ſe continet, motus ſuos internos, & externos, & omnem rerum ſuarum apparatum intra menſuram ſibi congruam coercens. Modeſtia ita ſumpta affinis eſt Temperantiæ: ut enim illa modum adhibet in iis, in quibus difficillimum eſt adhibere, nempe in delectationibus tactus: ita Modeſtia in aliis quibuſdam modum ponit ubi id minus quidem difficile; tamen ad rectè præſtandum opus eſt virtute. Sunt autem

(*h*) S. *Thom. ſup. q.* 160.

quatuor,

quatuor, quæ exceptis delectationibus tactus, circa quæ Temperantia; & Ira, circa quam Mansuetudo versatur, moderatione potissimum indigent, nempe motus animi ad excelsa, ad quem coërcendum est Humilitas: Nimium desiderium cognitionis, præsertim curiosæ; quod frænat Studiositas: Motus, & gestus externi corporis, quos componit Modestia specialis virtus: Externus cultus, & apparatus in vestibus, conviviis, supellectili, quam moderatur Parcitas. Sunt ergo quatuor Modestiæ amplè sumptæ species pro quadruplici materia paulò ante explicata. 2 Sumitur Modestia strictè, pro specie modestiæ genericæ: estque virtus decorum in externis moribus, & gestibus servans. officium enim hujus virtutis est incessum, stationem, sessionem, motum capitis, contractionem, & explicationem vultus, membrorum tractationem, vocem, risum, aspectum, similia ita moderari, ut congruant personæ cum-in se consideratæ, tum ut habet ordinem, & respectum ad circumstantes, ad locum, tempus, & negotium præsens. Hujus specialis Modestiæ species quædam est Eutrapelia. Motus enim & gestus externi, vel seriò fiunt, vel ludi jocivè causa. si seriò agantur, spectant ad speciem modestiæ, quæ peculiari nomine dicitur Modestia: si ludi, & joci causa, ad Eutrapeliam, quam supra q. 2, prop. 8. numeravimus inter virtutes Justitiæ affines est enim mixta quædam virtus, quæ quatenus delectationes erga ludos, ac jocos moderatur; ad Temperantiam spectat, quatenus exhibet ludos, & jocos ob debitum decentiæ, quo tenentur qui aliis convivunt, pertinet ad Justitiam. (1) Porrò ludus propriè in fa-

(1) S. Th. sup. q. 168. a. 2.

ctis, jocus in verbis est. Generatim tamen ludi nomine etiam jocus significatur. ludus ergo generatim sumptus, si absit omnis injuria, obscœnitas, illiberalitas, superfluitas; si non omnino animi gravitatem resolvat; si personæ congruat, tempori, loco, ceteraque circumstantias habeat secundum rectam rationem; ad virtutem spectat Eutrapeliam. Habet enim suam honestatem, quatenus delectationem affert, quæ deservit ad animi quietem, mentis operibus defatigati; sine qua quiete non possunt opera mentis continuari; & quatenus hominum societati, & convictui deservit.

De Humilitate.

5. (k) Humilitas est virtus, qua quis defectum sum considerans, in infimis secundum modum sum se continet. Ex hac definitione tria intelliguntur. 1. Origo humilitatis; quæ est cognitio propriæ vilitatis. habetur autem maximè hæc cognitio ex comparatione sui cum Deo. 2. Duo præcipui Humilitatis actus, qui sunt Appetitio rerum infimarum propriæ vilitati congruentium juxta rectam rationem; & cohibitio appetitus ne efferatur ad majora, quàm propriæ vilitati conveniunt. 3. Differentia inter Humilitatem; & Magnanimitatem, quatenus utraque cohibet appetitum ne feratur ad majora. quamvis enim in hoc hæ virtutes conveniant: differunt tamen in eo, quod, cum objectum Humilitatis sit depressio; Magnanimitatis elevatio juxta rationem, Humilitas retinet

(k) S. Thom. supr. q. 161.

appetitum

appetitum ne elevetur supra gradum debitæ depressionis; Magnanimitas continet eumdem appetitum ne elevetur ultra gradum debitæ elevationis. oritur enim Humilitas, ut dictum est, ex consideratione propriæ vilitatis, Magnanimitas ex consideratione propriæ excellentiæ.

De Studiositate.

6. (l) Studiositas, est virtus, quæ affectum, & studium cognoscendi juxta rectæ rationis normam temperat. Studium autem est vehemens animi applicatio ad aliquid cognoscendum; & includit duos actus, nempe affectum sciendi, qui est actus voluntatis, & conatum, qui est exercitium cognitionis; quatenus dependet à voluntate, cujus est applicare potentias cognoscitivas ad cognoscendum. Triplex autem est Studiositatis officium. 1. Moderari appetitum sciendi, ut quis non velit plura, aut altiora scire, quàm ipsi conveniat; nec pluris faciat scientiam, quàm oportet. 2. Moderari applicationem, & conatum ad cognoscendum, & ad utendum scientia, apponendo debitum finem, modum, circumstantias loci, temporis, adminiculorum. Impellere animum, & incitare ad studium, cum quis ob laborem conjunctum refugit studium necessarium, vel congruum, vel in eo languet.

(m) De Parcitate.

7. Parcitas, seu modestia cultus est, quæ decorum in cultu corporis, & alio rerum externarum ap-

(m) S. Thom. sup q. 169.

paratu

paratu servat. Quatenus hæc virtus tollit superfluа, Parcitas dicitur; quatenus nimium exquisita non requirit, appellatur simplicitas, sive Moderatio. Materia remota hujus virtutis est externus apparatus, præsertim spectans ad cultum, & ornatum corporis, domus, supellectilis, & conviviorum; proxima sunt actiones, quibus hæc procuramus, & his utimur. Forma verò, quæ in hanc materiam inducitur, est congruentia ad personam, ad receptam consuetudinem, ad tempus, locum, negotium præsens, & alias circumstantias. eam enim congruentiam spectat hæc virtus, ex affectu honestatis, quæ in ea relucet.

VI. PROPOSITIO.

De vitii, quæ Temperantiæ, ac virtutibus ei annexis oppositа sunt.

Vitia Temperantiæ, ac virtutibus ei annexis opposita, ea sunt: Stupor, Intemperantia, Gula, Ebrietas, Luxuria, Impudicitia. Incontinentia, Ira, Lenitas nimia, Crudelitas, Feritas, Lentitudo, Superbia, Abjectio animi, Curiositas, Negligentia, Ludi superfluitas, Austeritas, Superfluitas ornatus, Mollities.

(n) *De Stupore.*

1. STupor, sive insensibilitas est vitium Temperantiæ oppositum per defectum, cum quis sicut non oportet, & quando non oportet, &c. aver-

(n) *Arist. 2. eth. c. 7. & 3. eth. c. 11. S. Th. 2. 2. q. 142. a. 1.*

satur,

satur, & repudiat delectationes tactus. vitiosum enim est contra naturæ ordinem agere. Natura autem delectationes apposuit operationibus necessariis ad vitam hominis. Si quis ergo delectationem adeo refugeret, ut prætermitteret necessaria conservationi naturæ, vitiosè ageret; quia contra naturæ ordinem ageret. Si quis autem ob finem honestum, ut propter sanitatem corporis, aut executionem alicujus officii, aut contemplationem, aliudve animi bonum, delectationibus tactus abstineret, honestè ac laudabiliter abstineret.

De Intemperantia.

¶ 2. (o) Intemperantia opponitur Temperantiæ secundum excessum, inclinatque ad delectationes tactus quando, vel ubi non oportet, plus quàm oportet, vel non eo modo, quo oportet, vel ad quas non oportet. Hoc vitium maximè probrosum est, & infame, tum quia per illud homo vincitur delectationibus infimis, quas cum brutis habet communes; tum quia in ejus objecto nihil elucet ingenii, nihil generositatis, n. l quod hominem deceat. vocat autem Arist. 3. eth. c. 12. hoc vitium puerile; tum quia instar pueri impetu fertur in ea, quæ oblectant, sine rationis directione, tum quia nisi frenetur, præceps magis fit, ut puer suæ voluntati permissus; tum quia coërcendum est, & castigandum ut puer, dirigendaque concupiscentia imperio rationis, ut puer præscripto Pædagogi. est autem Intemperantia genus ad tres species, Gulam, Ebrietatem, Luxuriam.

(o) *Arist. 2. eth. c. 10, 11, 12. S. Thom. ibi.*

De

De Gula.

3. Gula solet duobus modis accipi. 1. Amplè pro vitio inclinante ad inordinationem, quæ tum in cibo, tum in potu contingit. 2. Strictè ut opponitur virtuti Abstinentiæ strictè sumptæ, quæ facit nos moderatè appetere, & uti cibo, & potu non inebriante, ita Gula est vitium in appetitione, & usu delectationis cibi, & potus debitum modum, id est, præscriptum rationis excedens. Posset Gula tertio modo accipi strictissimè, quatenus inordinatè versatur circa cibum tantum. Inordinatio porrò Gulæ secundo modo sumptæ potest accidere quinque modis, quorum singuli distinctas Gulæ species constituunt, quia singuli diverso modo opponuntur virtuti Abstinentiæ, & diversi in diversis reperiri solent. Primus modus inordinationis est secundùm ciborum substantiam, cum pretiosiores cibi appetuntur, quàm proprio statui conveniant. 2. Secundùm qualitatem, cùm in condimentis, & studio præparandi est excessus. 3. Secundum quantitatem, cum nimium comeditur, id est, plus quàm natura requirat. 4. Secundum modum sumendi, ut si quis non mandendo, sed devorando comedat. 5. Secundùm rationem temporis, ut si quis tempus debitum præveniat, aut sæpius, quàm deceat, comedat. Aliæ inordinationes circa cibum accidere solent, quæ non constituunt species gulæ distinctas, quia non Abstinentiæ, sed aliis virtutibus opponuntur; ut comedere in loco incongruo modò Religioni repugnat, modò Modestiæ.

(p) S. *Thom. sup. a.* 148.

De

De Ebrietate.

4. (q) Ebrietas, est vitium inclinans ad excessum in potando, causa voluptatis, usque ad violentam usus rationis privationem. Ebrietas hoc modo sumpta opponitur Sobrietati strictimè sumptæ, de qua dictum est supra Prop. 4. Diximus (causa voluptatis) quia si causa medicinæ ex medicorum præscripto, fieret excessus in potu usque ad violentam interceptionem rationis, non esset ebrietas. violenta autem usus rationis privatio, opponitur naturali. Naturalis fit per somnum, spiritibus animalibus impeditis ne ad organa externa fluant, neruis sensoriis, qui ad sensuum externorum organa terminantur, vapore quodam frigido occupatis. violenta fit, quando tanta vaporum copia cerebrum implet, ut etiam in vigilia ratione uti non possit.

De Luxuria.

5. (r) Luxuria sumi solet. 1. Generatim pro quolibet excessu in usu earum rerum, quæ pertinent ad corporis cultum, seu voluptatem. 2. Strictè pro excessu in re venerea: opponitur autem Castitati. estque vitium, quod inclinat ad inordinationem circa actum seminationis. Duplex autem esse potest inordinatio, altera in substantia actus, ut cum non fit in organo naturali, aut non cum persona legitima; altera in modo, & aliis circumstantiis loci, temporis, &c. Pro varietate autem inordina-

(q) *S. Thom. sup. q. 150.* (r) *S. Thom. sup. q. 153.*

tionis circa substantiam actus, sunt plures luxuriæ species. vel enim est inordinatio circa actum principalem, quod ita fiat, ut non possit sequi Generatio; & est vitium contra naturam, vel quia ita fit, ut non possit sequi commoda institutio,& promotio prolis usque ad statum perfectum; & ea species dicitur,Simplex fornicatio; spectatque ad copulam soluti cum soluta. vel quia fit cum persona incongrua; Persona autem incongrua vel est propinqua, & vitium est incestus:vel alteri juncta; estque Adulterium: vel sub potestate parentis; & est Stuprum: vel non consentit; & est Raptus.

De impudicitia.

6. (s) Impudicitia est vitium, quod inclinat ad turpes contactus.

De incontinentia.

7. (t) Incontinentia duobus modis sumitur. 1. Largè, cum cedit ratio impulsui cujusvis passionis. 2. Strictè, ut opponitur Continentiæ secundo modo sumptæ; estque cum passio,quæ circa delectationes tactus versatur, vincit rationem, usu rationis manente. (u) Non enim solet incontinens appellari, qui amisso per passionis vehementiam judicio rationis,trahitur ad delectabilia;ut nec bestiæ, nec amentes nomen Incontinentium habent. (x) Præterea qui ab alia passione vincitur, quàm ab ea

(s) S.*Th.sup.q.*154.*a.*1.*ad* 5. (t) *Arist.*7.*eth* S. *Tho. sup.q.*156. (u) *Aristot.sup.c.*5. (x) *Aristot. sup. c.*4.*&* 6.

quæ

quæ est circa tactum, non appellatur absolutè incontinens, sed cum addito, ut Incontinens iræ; ut nec absolutè continens appellatur, qui alias passiones vincit, sed solum qui vincit passionem delectationis circa tactum. Ratio ea videtur esse, quod delectationes tactus vehementiores sunt, quippe magis consentaneæ propensioni naturali, & trahunt hominem ad magis turpia: quare in continendo se ab his est laus quædam, & difficultas magis peculiaris; unde fit, ut qui his delectationibus resistit, absolutè continens appelletur; & qui vincitur ab his, absolutè incontinens. (y) Potest autem duobus modis contingere ut passio rationem vincat, usu rationis manente. 1. Trahendo ad se, ac rapiendo impetu suo voluntatem ante quàm ratio consultet, aut exactius deliberet: & ea Incontinentia dicitur effrænata, sive Temeraria. Accidit autem hoc vel ob passionis celeritatem, ut in choleticis; vel ob vehementia, ut in melancholicis. In his ergo quamvis voluntas advertat malum esse, quod proponitur; non sinit tamen negotium ratione expendi, sed statim cedit, sensibili objecti suavitate illecta. 2. Vincit passio voluntatem, etiam advertentem, cum voluntas tenuiter inhæret bono rationis. facile enim passio voluntatem ad se trahit, etiam si non valde vehemens sit, cum voluntas parum firmiter inhæret bono rationis. Is trahendi voluntatem modus solet esse crebrior in mulieribus, & iis, quorum constitutio mollior est, & fœminea, ut sunt phlegmatici. Utrovis autem modo Incontinentia contingat, malum morale est, peculiarem turpitudinem habens: tum quia turpe est rationem vinci à

(y) *Aristot. sup. c. 7.*

passione,

passione, & voluntatem deserere bonum rationis ut inhæreat bono delectabili; tum quia voluntas trahitur ad infimas delectationes, quæ homini cum brutis communes sunt. (z) Plus porrò turpitudinis habet Incontinentia concupiscentiæ, quàm Iræ, tum quia motus Iræ habet speciem aliquam, & imaginem rationis; quia offert se vindicta menti specie Justitiæ; motus autem concupiscentiæ totus est secundum sensum, totus carni serviens. Tum quia motus iræ, quippe qui ex choleræ humore oritur, est celerior, ac proinde magis dignus venia, quàm motus concupiscentiæ, cui sanguis, & pituita deservit, quorum motus lenior, & quæ non ita accenduntur, ut cholera. Tum quia concupiscentia quærit voluptatem superfluam; Ira vero repellit malum immeritum: ac proinde plus habet excusationis qui in malo à se depellendo modum rationis excedit, quam qui in admittenda voluptate superflua. (a) Est autem Incontinentia ceteris paribus minus malum, quàm Intemperantia. Tum quia intemperans ex spontanea electione peccat; incontinens ex impulsu passionis, quasi ab extrinseco contra voluntatem incitatus, tum quia intemperans habet intellectum prave dispositum quoad judicium objecti, non reputans illud inhonestum, aut certe parui æstimans, ut malum exiguum, & voluntatem, ac appetitum inferiorem prave dispositum habitu vitioso: incontinens verò judicium habet rectum & voluntatem rectam extra passionem, & appetitum inferiorem non adeo corruptum. Quare Incontinentia aut non est vitium, quia potest con-

(z) *Arist. sup. c. 6.* (a) *Arist. sup. c. 7 & 8.*

tingere,

tingere, ut si quid mali habitus ex actu Incontinentiæ relinquatur in voluntate, statim expellatur per actum quo voluntatem pœnitet facti: aut, (b) si vitium est ex aliquo habitu relicto, non est omni ex parte vitium, quia parum habet voluntarii, & electionis.

8. (c) Est aliud vitium, seu quasi vitium Incontinentiæ respondens, ac oppositum Continentiæ per defectum, cum quis non persistit in recta ratione: quia corporis delectationibus minus oblecta-tur, quàm oportet. sed quia is habitus in paucis, & raro reperiri solet, fit, ut Continentiæ solum Incontinentia esse contraria videatur, ut Temperantiæ Intemperantia.

De Ira, & Lenitate nimia.

9. (d) Ira dicitur tum una ex passionibus, tum vitium oppositum Mansuetudini per excessum. Inclinat autem hoc vitium ad appetendum vindictam inordinatè. Est autem inordinatio cum appetitur vindicta de eo, qui non meruit, vel ultra quàm meruit, vel non secundùm legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conservatio Justitiæ, & culpæ correctio; vel motus iræ immoderatè fervescit sive interiùs, sive exteriùs.

10. (e) Lenitas nimia Mansuetudini opponitur per defectum, cum quis ob quæ oportet, & quando, & in quos oportet non irascitur.

(b) *Aristot. sup. c. 10.* (c) *Aristot. sup c. 9.*
(d) *Arist. 4. eth. c. 5.* S. *Tho. sup. q. 158. c. 2.*
(e) *Aristot. ibi.* S. *Tho. ibid. a. 8.*

De

De Crudelitate, Sævitia, Lenitudine.

11. (*f*) Crudelitas Clementiæ opponitur per excessum. est autem Atrocitas animi in exigendis pœnis. Ut enim Clementia minuit pœnam quantum ratio permittit; ita Crudelitas illam auget, idque ex animi quadam asperitate, malo alterius minimè compatientis. Supponit autem Crudelitas duo, nempe & potestatem puniendi; & causam, scilicet injuriam, quæ vindicetur, vel delictum, quod puniatur, Crudelitas enim est excessus in pœnis exigendis. Pœna autem delictum, vel speciem delicti supponit.

12. Sævitia, seu Feritas est, cùm quis vel nulla culpa suppositâ, vel ea suppositâ, in puniendo excedit atrociter modum, non tam ut culpam ulciscatur ejus, quem punit, quàm quod instar alicujus feræ delectetur ipso cruciatu, & læsione hominis.

13. Lenitudo Clementiæ opponitur per defectum. ea inconsultè pœnam mitigat, vel omnino remittit, etiam cum bonum delinquentis, & exemplum aliorum aliud requirit. Provenire solet hoc vitium tum ex nimia alieni mali compassione; cùm alterius calamitas, quam patitur, non causa spectatur; tum ex naturæ quadam lenitudine, ac stupore, culpæ magnitudinem non percipiente.

De Superbia, & Abiectione nimia sui.

14. (*g*) Superbia est vitium, quod inclinat ad appetitum perversè excellendi. opponitur Humilitati per excessum. Humilitas inclinat ad appetitum

(*f*) *Arist. ibi. S. Tho. sup. q.* 159. (*g*) *S. Tho. sup. q.* 162.

continendi se in infimis secundùm suum modum: qui appetitus oritur ex consideratione proprii defectus. Hinc oppositæ Superbiæ ratio intelligitur. Inclinat enim ad appetitum, seu amorem, & complacentiam propriæ excellentiæ perversæ, id est, majoris quàm re vera insit. qui appetitus oritur ex consideratione excellentiæ majoris, quàm insit. accidit autem major considerari, quia non considerantur proprii defectus, & dependentia à Deo. Ex his intelligitur in quo differat Superbia à Præsumptione, Ambitione, Magnanimitate. Superbia enim habet pro objecto excellentiam, quæ primò, & per se circa propriam personam consideratur: quare ipsa persona est objectum Superbiæ. Præsumptionis autem objectum sunt functiones magnæ non habentes commensurationem cum propria persona; quare persona non respicitur à Præsumptione ut objectum, sed ut terminus, & mensura objecti. Magnanimitas versatur circa functiones magnas habentes proportionem cum propria persona: Ambitio circa magnas dignitates non congruentes propriæ personæ, in quibus item persona non est objectum, sed terminus. Porro ex primo Superbiæ actu, qui est Complacentia de perversa excellentia propriæ personæ, multi actus oriuntur ordine quodam. 1. Æstimatio sui, quatenus ex complacentia sui propria excellentia major videtur, & pluris æstimatur. 2. Æstimatio, qua se superbus æstimat dignum, & idoneum rebus magnis, suam mensuram excedentibus. 3. Appetitus dignitatum, & aliorum ad excellentiam pertinentium, tanquam sibi congruentium. 4. Appetitus honoris, & laudis. 5. Indignatio, & dolor, si hæc non obtineantur. 6. Contemptus aliorum, cum quibus se superbus comparat, & quibus se meliorē æstimat.

7. Actus

7. Actus, quo superbus recusat se superioribus subjicere, quod se putat esse dignorem, ac prudentiorem. 8. Actus, quo recusat se Deo subjicere, quod vult suo arbitratu vivere, quasi Deo opus non habeat.

15. Inordinata sui abjectio, seu dejectio animi (quæ etiam Pusillanimitas dici potest) vitium est, quatenus inclinat ad sui abjectionem cum ea redundat in injuriam status, vel officii, in quo quis est, vel talenti, quo est præditus, aut in eorum incommodum, quibus prodesse potest, vel debet. Opponitur humilitati per defectum, quatenus humilitas consideratur ut refrænans appetitum excellentiæ; nimia enim abjectio nimis parum appetit ea, quæ ad propriam excellentiam spectant. Si verò Humilitas consideretur ut inclinans ad ea, quibus suam vilitatem profitetur, Abjectio sui nimia opponitur Humilitati per excessum, Superbia per defectum.

De Curiositate, ac negligentia.

16. (*h*) Curiositas generatim est superflua cura, & diligentia circa res inutiles, vel qualitatem earum non necessariam. Propriè Curiositas est vitium Studiositati oppositum per excessum, inclinans ad affectum, & studium inordinatum cognoscendi ut cognoscendi; cùm scilicet cognitio, aut modus eam acquirendi non est conveniens rectæ rationi, consideratis rei, personæ, & ipsius officii circumstantiis, &c. Potest autem id contingere quatuor modis. 1. Ex parte finis, si quis cognitionem quærat, ut illa abutatur ad Superbiam, aut ad alium malum finem: aut si cognitionem nullo modo referat

(*h*) *S. Thom. sup.* 2. 167.

ad Deum, in quem tanquam in finem referenda est. 2. Ex parte ejus, qui cognitionem quærit, si per eam impediatur, quo minus muneri suo satisfaciat. 3. Ex parte ejus, à quo cognitio quæritur: ut si quæratur à Dæmone per expressam, vel tacitam ipsius invocationem. 4. Ex parte rei, cujus cognitio quæritur; si ea sit supra humanam facultatem, saltem moraliter loquendo. Porrò cognitionem hic intelligimus non solùm intellectivam, sed etiam sensitivam.

Negligentia studiorum Studiositati opponitur per defectum. Inclinat ad omissionem discendi id, quod discere, vel scire quis debet.

De Ludi superfluitate, & Austeritate.

17. (i) Ludi superfluitas vitium est Eutrapeliæ oppositum per excessum; Cùm quis in ludis, ac jocis immoderatiùs se gerit, quàm conveniat regulæ rectæ rationis. (k) Austeritas opponitur Eutrapeliæ secundùm defectum; ut accidit cùm quis eget ea animi remissione, quæ fit per ludum, nec admittit ex Austeritate animi; aut ex eadem molestum se aliis exhibet, honestos eorum ludos respuens.

De superfluitate ornatus, & Mollitie.

18. (l) Superfluitas ornatus vitium est inclinans ad excessum Parcitati, & Simplicitati contrarium in exteriori apparatu. Contingit autem hoc vitio peccari & cùm externus cultus est contra morem eo-

---

(i) *S.Th sup.q.168,a.3.* (k) *Arist. 4. eth. c. 8.* (l) *S.Th. sup.q.169.*

rum

rum, quibus cum vivitur; & cùm ad vanam gloriam captandam refertur, & ad illicitam voluptatem, & cum sollicitudine nimia ei opera datur; & ex aliis circumstantiis contrariis rectæ rationi.

19. Mollities Parcitati, & Simplicitati opponitur per defectum. Peccat quis hoc vitio vel cùm præter decorum in cultu corporis, & rerum suarum est negligentior; vel cùm vilitatem cultus refert ad malum finem, vel ad vanam gloriam captandam.

EPILOGUS.

HÆc de Ethicæ natura, fine hominis, ac virtutibus moralibus disputavimus ex principiis lumine naturali notis, & secundùm Peripateticam doctrinam. Is autem disputationis nostræ finis fuit, ut morales Aristotelis ad Nichomachũ libri brevi, ac plano compendio explicarentur, & introducerentur tyrones ad eam sacræ Theologiæ partem, quæ de Moribus est. Si quid bene dictum à nobis est, & ad solidam scientiam utile, id acceptum referimus Deo; si quid excidit haud consonum veritati, illud Doctorum censuræ, ac Majorum judicio subjicimus emendandum. Petimus autem ex Deo Opt Max. ut Christianum Lectorem non sinat hærere in sola moralis doctrinæ cognitione; sed pro sua bonitate excitet illum, ac provehat ad intelligentiam rerum, quæ supra naturam sunt, & ad rectas actiones: Finis enim Moralis doctrinæ actio. Atque ut quisque pro sua virili cooperetur divinæ bonitati; cognitionem, quam lumen naturæ docet de recta actione, copulet cum ea, quæ habetur ex doctrina catholicæ fidei; & ex utraque formet sibi modos practicos, à quibus statuat in agendo nunquam discedere.

LAVS DEO.

INDEX

ARISTOTELICVS.

IN quo brevis summa ponitur decem librorum Nicomachiorum: & secundùm eorum ordinem indicantur hujus introductionis loca, tum quæ ad Aristotelici textus intelligentiam faciunt; tum quæ ea continent, de quibus in illis textibus agi potest.

LIBER PRIMUS.

Cap. 1. & 2. Omnes doctrinæ finem aliquem habent, ad quem diriguntur, nempe bonum aliquod, quod ab hominibus appetitur. In bonis autem, quæ appetuntur, semper datur aliquod bonum ultimum, propter quod cetera bona appetuntur. Videndum quodnam sit bonum ultimum, ac proinde summum, propter quod homo cetera appetere, & ad quod omnes actiones dirigere debet. Porro doctrina moralis, quæ hominis actiones, ac finem considerat, scientiæ politicæ subordinatur, quæ communitatis actiones, ac finem contemplatur. Pro horum intelligentia agi potest 1. *De fine, de quo disp.* 1. *q.* 1. *def.* 7. 2. *De Ratione Boni. ibid. def.* 5 *&* 6.

& d. 2. q. 1. Prop. 1. 3. De activæ Philosophiæ divisione, d. 1. q. 1. def. 1. 4. De Ethicæ nomine, ibid. def. 12. 5. De Moralis disciplinæ divisione, natura, objecto. d. 1. q. 2. 6. De Methodo, qua hæc doctrina tradi potest. in Proœmio.

C. 3. Modus Doctrinæ in Ethicis non potest esse ita exactus, ut est in aliis scientiis: quia in materia morali non potest esse perfecta certitudo. Apti huius doctrinæ auditores non sunt juvenes, ob inexperientiam; nec mali morati, ob pravas affectiones. Finis moralis doctrinæ est actio. De hoc fine in Proœmio, & in Epilogo.

C. 4. De fine agendorum omnium, id est, de felicitate diversi diversa sentiunt. Aptissimus modus illum investigandi est incipere ab iis quæ nobis sunt notiora. cum autem felicitas activa sit actio recta: de recta autem actione non possit bene philosophari, qui malus sit: ideo ei, qui felicitatem hominis vult investigare, debent esse in praxi noti boni mores. De felicitatis nomine, d. 1. q. 1. def. 3.

C. 5. Bonum summum, & felicitas hominis non est voluptas, neque honor, neq; divitiæ, neque virtus. Disp. 2. q. 1. p. 1. & 2. & q. 2. p. 1. 4. 5.

C. 6. Felicitas non est Idea, seu Bonum separatum, quod Plato ponebat. tum quia, cum bonum sit analogum, ut & ens, non potest dari unum commune bonum omnibus bonis. tum quia si omnium bonorum una esset Idea, una esset de omnibus illis scientia: at non est una, ut patet ex tanta varietate scientiarum. tum quia eadem esset ratio boni in omnibus bonis, quæ per se appetuntur, ut est sapere, videre, honor: at non est in his eadem ratio boni. tum quia bonum homines appetunt, ut illud possideant: at Idea illa possideri non potest. tum quia non apparet quid utilitatis percipi possit ex consideratione illius boni separati. Aliqua ex his melius intelligi possunt ex dictis d. 1. q. 1. p. 2. & p. 4. ad 1.

C. 7

C.7. *De ratione felicitatis est* 1. *Esse respectu agendorum bonum agendum ultimum, ad quod cetera bona agenda referuntur, & ipsum non refertur ad alia* 2. *Esse bonum sufficiens, ac perfectum.* 3. *Esse operationem hominis ut homo est, id est, operationem partis rationalis, eamque præcipuam inter operationes rationales, ac diuturnam. De his d.2.q.1.p.1.& 2.*

C.8. *Cum tria sint bona, externa, corporis, & animi; animi autem bona sint tum habitus, tum operatio; aliqui dixerunt felicitatem positam esse in operatione animi, aliqui præter operationem requirebant voluptatem. Et operatio quidem animi est ex se maximè delectabilis, præsertim si fiat ex habitu. aliqui, præter operationem animi, necessaria ad felicitatem esse bona externa dixerunt. Pro horum intelligentia leg. d. 2.q.1.p.2.& 5.& p.6. in fi.*

C.9. *Causa felicitatis efficiens non videtur esse fortuna. quia felicitas est quid optimum, & operatio ex virtute: ut patet ex eo, quòd qui non habent talem operationem, non dicuntur felices; at optima, & quæ ex acquisitione boni habitus pendent, non sunt à fortuna. De causa felicitatis efficiente fusè disputatur. d.2.q.3.*

C.10. *Quòd felicitas hominis sit operatio hominis ut homo est, non autem bona externa, & corporis, probatur: quia in felicitate, ex communi omnium sensu, requiritur firmitas, & diuturnitas: hæc autem maximè contingunt operationi, quæ sit ex virtute. De Perpetuitate felicitatis d. 2.q.2.p.2.*

C.11. *Amicorum calamitates respectu eorum, qui vita functi sunt, videntur ita se habere, ut eos à statu felicitatis non dimoveant.*

C.12. *Felicitas est bonum honorabile potius quàm laudabile. Quia laus est eorum, quorum bonitas consideratur in ordine ad aliquid aliud. quæ autem sunt optima, ac proinde non ordinantur ad aliud, honorantur potius*

quam laudantur. at felicitas est bonum, quod non ordinatur ad aliud bonum humanum. De laudabilitate d.1.q.3.p 4. in fine. Quòd ratio formalis felicitatis non sit in actione d.2.q.2. p.4.

C. 13. *Cùm felicitas sit operatio secundùm virtutem, de virtute agendum est. ut autem melius, quæ ad virtutem spectant, intelligantur, scienda sunt aliqua, quæ ad scientiam de anima pertinent. Animæ duæ sunt partes, altera rationalis, altera irrationalis. Irrationalis alia vegetativa, quæ non est propria hominis. alia, quæ regitur à ratione: quæ interdum contrariatur rationi. unde duplex est virtus, alia rationis, alia partis, quæ subditur rationi. Quod virtus sit medium ad felicitatem. d. 3, in proœmio. De partibus animæ d. 3. q. 1. p. 2. De subiecto virtutum moralium. d.3.q.1.p. 3.*

LIBER SECUNDUS.

Cap. 1. *Virtutes non habemus à natura, sed assuetudine illas acquirimus. De causa efficiente virtutum moralium. d.3.q.1.p.4.*

C. 2. *Virtutes circa mediocritatem versantur. Probatur tum ex eo, quod illæ ab excessu, & à defectu corrumpuntur, ut suadet experientia: tum ex eo, quod ad mediocres operationes inclinant. d.3.q.1.p.2.sect.18.*

C.3. *Virtutes morales circa voluptates, ac tristitias versantur. Rationes vide d.3.q.1.p.2. sect.19.*

C.4. *Quid requiritur, ut quis dicatur ex virtute operari? Non solùm ut operetur virtuosa, v.g. justa, & temperata; sed etiam ut operetur virtuosè, id est, ex electione, et cum affectu ad virtuosa. d. 3.q.1.p.1. sect.2. & p.3.sect.1.*

C.5. *Quid est virtus moralis? Cùm tria sint in anima, Passiones, seu actus, Potentiæ, & Habitus; virtus moralis*

ralis non est actus, neque potentia, sed habitus. Horum probatio habetur d. 3. q. 1. p. 1. 2. De Passionibus animi, de quibus fusè ibid. p. 2. à sect. 2. usq; ad 17. 3. De divisione actuum animi, de qua ibid. sect. 1. & 17.

C. 6. Virtutis habitus circa medium versatur. medium autem duplex, alind rei, aliud quoad nos. & quia multis modis potest recedi à medio, ideo contingit multis modis peccare. Advertendum autem esse quædam, quæ non licet neque mediocriter attingere, quia ex se mala sunt, ut adulterium. d. 3. q. 1. p. 2. sect. 18.

C. 7. Numerat Arist. media, & extrema in singulis materiis. De quibus fusè d. 3. q. 2. 3. 4.

C. 8. Extrema vitia cum media virtute, & inter se ita comparantur, ut virtus respectu vitii per excessum, esse quidam defectus; respectu vitii per defectum, esse quidam excessus videatur. major autem est contrarietas extremorum inter se, quàm cum medio. medio autem in quibusdam magis excessus, in quibusdam magis defectus opponitur. Hæc melius intelliguntur ex iis, quæ de singulis virtutibus, & vitiis dicuntur d. 3. q. 2. 3. 4.

C. 9. Quid agendum, ut medium assequi possimus? 1. Ab illo extremo recedendum, quod magis opponitur medio. 2. Nitendum contra id, ad quod natura inclinamur. 3 Maximè à voluptate cavendum. de quæ de frenandis passionibus dicuntur d. 3 q. 1. à § 3. usq; ad 14. Post hæc agi potest de virtutum moralium divisione, ac duratione, de quibus d. 3. q. 1. p. 3. 5. 9.

LIBER TERTIUS.

Cap. 1. Effectus virtutum sunt actiones bonæ, vitiorum malæ. Bonæ actiones laudantur, quia voluntariæ; malæ tum pœna affici solent, quia voluntariæ; tum veniam habere, quia involuntariæ. videndum ergo

quid

quid sit voluntarium, & involuntarium. Aliam rationem cur de voluntario debet agi vide d. 1. q. 3. in princ. Invita sunt, quæ aut vi, aut ignoratione fiunt. quæ autem fiunt ex timore, mixta quidem sunt, id est, partim spontanea, partim invita, simpliciter tamen spontanea dicenda. Quæ ex concupiscentia fiunt, absolutè spontanea sunt. violenta, sunt absolutè invita. quæ ex ignoratione fiunt, alia sunt invita, alia neque spontanea, neque invita, alia spontanea. Invita sunt, cum in actione ignorantur particularia, & circumstantiæ, & postquam facta est actio dolorem affert. Declarantur hæc fusè d. 1. q. 3. p. 1. De circumstantiis agitur d. 1. q. 5.

C. 2. unum è spontaneis est electio, quæ non est cupiditas, neq; ira, neq; opinio, neq; voluntas, versatur circa media ad finem, quæq; in nostra sunt potestate, & præconsultata d. 1. q. 4. p. 1. sect. 4.

C. 3. Summa huius capitis, quod est de consultatione, habetur explicatè d. 1. q. 4. p. 1 sect. 4.

C. 4. Voluntas dicitur actus ille, quo voluntas versatur circa finem. An autem omne, quod voluntas appetit, bonum esti? Ex se quidem omne appetibile bonum est. non enim est naturalis inclinatio ad malum. sed ex pravo habitu; & passione potest contingere ut bonum alicui appareat, quod re vera malum est, & sub ea boni specie illud appetat. Explicantur hæc d. 1. q. 1. def. 5. sect. 2. & q. 4. p. 3. §. 1. & d. 2. q. 3. §. 1. De voluntate, & aliis voluntatis actibus, de quibus posset in hoc loco agi, d. 1. q. 4. p. 1. sect. 3.

C 5. Bene ac malè agere, ac proinde virtutem, & vitium, quæ ad actiones consequuntur, esse in nostra potestate, probatur. 1. Quia Legislatores pœnis eos, qui malè; præmiis eos, qui bene agunt, prosequuntur: ut bene agentes ad virtutem incitent; malè agentes à mala actione revocent. at ad ea, quæ non sunt in

in nostra potestate, hortatur nemo. 2. Quia omnia vitia, etiam ea, quæ ad corpus spectant, si in nostra potestate sunt, vituperantur; si autem non sint, nemo increpat. Porrò quidquid sit, an finis, qui primò alicui objicitur, sit à natura, certum est habitum non esse à natura, sed à nostro arbitrio, ut rationes allatæ probant. Hic agi potest de objecto motivo voluntatis, & causa illud proponente, & de modo, quo voluntas movetur. d. 2. q. 3. p. 1. & 2.

C. 6. Fortitudo mediocritatem constituit circa passiones timoris, & audaciæ. Sunt autem aliqua, quæ timere debemus, ut infamiam; reliqua, quæ non debemus timere, ut paupertatem, circa hæc non versatur fortitudo versatur autem circa mortem, eamque præclaram; qualis est, quæ in bello oppetitur. Horum explicatio habetur d. 3. q. 3. p. 1. & 2.

C. 7. Fortitudinis actus sunt, timor, & audacia, si fiant circa ea, quæ oportet, & eo modo, quo oportet, & quando oportet Contingit autem ab hac mediocritate per defectum, & excessum recedere quatuor modis. quare quatuor sunt vitia Fortitudini opposita, Timiditas, Ignavia, Intimiditas, Audacia. d. 3 q. 3. p. 5.

C. 8. Aliqui actus videntur similes actibus Fortitudinis, cum Fortitudinis actus non sint: ii sunt. 1. Subire pericula propter honorem, vel timorem pœnarum, vel confusionem. 2. Subire pericula ob spem evadendi, quæ nitatur vel experientiæ, vel potentiæ. 3. Subire pericula ex passione iræ, vel doloris. 4. Subire ex ignoratione. Hi non sunt actus Fortitudinis, quia ratio ad illos movens, non est honestas. d. 3. q. 3 p. 2. §. 1.

C. 9. Cum Fortitudo & circa audaciam, & circa timorem versetur: magis ejus tamen species in fræ-nando timore elucet. Fortitudinis finis maximè

jucundus

jucundus est, quia maximè honestus: sed ea jucun-ditas à perpessione rerum acerbarum obscurari solet, quas necessarium est perpeti, ut ad illum perveniatur. d.3.q.3.p.2.§.2.

C.10. Summa, & explicatio hujus capitis, quod est de Temperantia, habetur d.3.q.4.p.1.

C.11. Cùm duplex sit cupiditas, altera communis, seu spectans ad speciem hominis, ut appetitus cibi, & potus: altera particularis uniuscujusque, ut est appetitus talis, vel talis cibi, vel potus, &c. In prima non contingit contra Temperantiam peccare, nisi secundum excessum: in secunda autem contingit variis modis peccare, ut si quis oblectetur de quibus non oportet, & magis, & non eo modo, quo oportet. Huc spectant, quæ dicuntur d.3.q.4.p.2.§.2. & p.6.

C.12. Si intemperantia cum timiditate comparetur, majorem habet rationem voluntarii intemperantia, quàm timiditas: quia delectatio ex qua oritur intemperantia, est secundum inclinationem naturalem; tristitia, ex qua oritur timor, est contra naturam. Cum ergo natura magno impetu in delectationem feratur, cohibenda est cupiditas, & castiganda, ut castigantur pueri. De ratione voluntarii in concupiscentia, & timore vide d.1.q.3.p.1.§.5,6,7. De concupiscentia, tristitia, timore, ac modo eas passiones cohibendi. d.3.q.1.p.2.§.7,8.12.

In fine hujus libri agi potest. De animi passionibus. d.3.q.1.p.2.à §.1. usque ad 17.

LIBER QUARTUS.

C.1. Summam hujus capitis, in quo de Liberalitate agitur, & vitiis ei contrariis, vide d.3.q.2.p.8.§.3. & p.9.§.8. Multa in Aristotele habentur, quæ quia explicatione non indigent, non opportuit in hac Introductione poni.

C.2.

C.2. Lege d.3.q.2.p.8.§.1. & p.9.§.9.

C.3. de Magnanimitate, & vitiis ei oppositis, d.3.q.3 p.3.§.4. & p.5.§.3.

C.4. De virtute circa honores moderatos, quæ Philotimia nominatur, d.3 q.3.p.3.§.4.

C.5. De Manſuetudine, d.3.q.4.p.5.§.3. De vitiis oppoſitis, ibid.p.6.§.9. & ſeq. & q 1.p.2.§.13.

C.6. De Affabilitate, ſeu Amicitiæ virtute, d.3. q. 2.p.8.§.6. De vitiis oppoſitis, ibid.p 9.§.10.

C.7. De veracitate, d.3.q.2.p.8.§.6. De vitiis oppoſitis, ibid. p.9. §.11.

C.8. De urbanitate, d.3.q.2.p.8.§.6. De vitiis oppoſitis, ibid.p.9.§.12.

C.9. De verecundia, ut eſt pars integrans reſpectu Temperantiæ, d.3. q 4. p.3. ut eſt paſſio, d.3.q.1.p.2. §. 12.

LIBER QUINTUS.

C.1. Explicatur primum ratio nominis Juſtitiæ: Deinde ponuntur modi quibus Juſtitia, & Injuſtitia dicuntur. Pro his faciunt, quæ habentur d.3.q.2.p.1. Poſtremo agitur de duobus primis Juſtitiæ generibus, nempe legali & particulari; & ratio juſtitiæ legalis explicatur, vide ibid.prop.5.

C.2. Probatur dari Juſtitia particularis à generali diſtincta ibid. Dividitur Juſtitia particularis in duo genera, ibid.p.6. Juſtitiæ commutativæ materia explicatur, ibid.p.3.§.4. Hic agi poteſt de generibus Juſtitiæ legalis.p.7.

C.3. Agitur de Juſto; ac Jure, quod intercedit in Juſtitia Diſtributiva quod jus habet proportionem geometricam. Explicationem hujus capitis vid. d.3.q.2. p.3.§.4.

C.4. Agitur de Juſto, quod eſt in Juſtitia Commutativa,

mutativa, quod habet proportionem arithmeticam, vid. ibid. De differentia inter Justitiam Distributivam, & Commutativam, ibid. p. 6. De jure alteri debito, ibid. p. 4. §. 4. De justitiæ objecto, ibid. p. 2. De divisione juris, ibid. p. 3. De ratione formali justitiæ, ibid. p. 4.

C. 5. Non posse fieri semper æquale, seu justum, per retaliationem, ibid. p. 8. §. ultimo. ut fiat in commutationibus æqualitas, attendendum esse valorem rerum, quæ commutantur: valorem autem esse attendendum, non ex naturis rerum, sed ex hominum æstimatione, cujus æstimationis regula est indigentia; loco autem indigentiæ substitutum esse nummum, ibid. p. 6.

C. 6. ut intelligatur qua operatione quis faciens justum, vel injustum, dicitur justus, vel injustus; sciendum est justum politicum, nempe quod intercedit inter æquales esse justum simpliciter; esse autem aliud justum herile, aliud paternum. quæ non sunt simpliciter justa, d. 3 q. 2. p. 3 §. 5.

C. 7. Jus aliud naturale, aliud legitimum. legitimum aliud commune, aliud particulare, ut privilegia; aliud decretale, ut Judicis sententia. naturale, interdum est mobile; legitimum semper est mobile, ibid. §. 3.

C. 8. Injuste agere, est sponte agere. sponte autem agere est agere quod est in sua potestate, & cum cognitione singularium. Ex his intelligitur per quam operationem quis dicatur injustus, nempe per spontaneam ex electione, ibid. n. 9. §. 1. & 2.

C. 9. ut injuste quis agat, duo requiruntur, voluntarium ex parte agentis, & involuntarium ex parte patientis, ibid. §. 2. In distributionibus, is, qui plus distribuit immerenti, injuste agit, non is, qui accipit. Nemo seipsum injuria afficit; quia non est involuntarium ex parte patientis. ut quis injuste dicatur agere, requiritur ut sciens operetur. injustum agere injuste, ex accidenti,

dentifacilè est; ex habitu non est facile. Cognoscere justa, & injusta secundùm praxim difficile est. Jus inter eos intercedit, qui bonorum sunt participes, iis quibus & excessum habent, & defectum.

C.10. Æquitas, seu Epiiceia inclinat ad non obsequendum juri legali ob majus bonum. Non est autem contraria juri legitimo, quia continetur sub jure naturali, per quod jus legitimum corrigit, d.3.q.2.p.7.§.6.

C.11. Quærit, An sibi ipsi quis injuriam possit facere. Proponit rationes pro parte affirmativa. Respondet negando, & affert plures rationes. Docet esse quandam similitudinem Justitiæ inter partem rationalem, & sensum hominis.

In fine hujus libri agi potest de virtutibus Justitiæ affinibus, & vitiis contrariis, & de Justitia subjecto, p.8.q.10.

LIBER SEXTUS.

C.1. Dictum est objectum virtutum esse mediocritatem, quam ratio recta præscribit. determinandum ergo est in particulari quæ sit ratio recta. ad hanc determinationem confert intelligere naturam cujuscumque habitus, cujus objectum est mediocritas à ratione recta præscripta. & quia dictum est de Habitibus virtutum moralium; nunc dicendum de Habitibus intellectualibus. Primùm autem sciendum duas esse animæ partes, alteram rationalem, alteram irrationalem. Rationalis duas habet partes, alterem, quæ necessaria; alterem, qua contingentia speculamur; illa speculativa, hæc ratiocinatrix dici potest. Pro his faciunt, quæ dicuntur de partibus animæ, & divisione intellectus d. 1. q.4. [illegible] §.2. & q.2.p.1.

C.2. Ad objectum virtutum moralium spectat electio. electio autem est appetitio consultatrix. ergo principium

cipium efficiens respectu electionis est tum ratio, tum appetitus. debet autem ratio esse recta, & appetitus rectus, veritas autem rationis sumitur ex conformitate cum appetitu recto. Ad electionem autem non est satis ratio speculativa, sed requiritur ratio practica. cadit autem electio in ea, quæ agenda sunt. Agi potest. 1. De electione, d. 1. q. 4. p. 1. Sect. 4. 2. De appetitu sensitivo, & rationali, d. 1. q. 1. def. 5. 3. Quid sit appetitus rectus, d. 1. p. 4. p. 1. Sect. 3. 4. De cognitione, qua movetur appetitus, d. 3. q. 4. p. 2. Sect. 1. 5. De conformitate rationis cum appetitu recto, d. 1. q. 4. p. 1. Sect. 3. & p. 5.

C. 3. De numero habituum intellectualium, & de scientia, d. 1. q. 4. p. 1. Sect. 2.

C. 4. de arte. ibid.

C. 5. De Prudentia, ibid. De ejus ratione formali, ibid. tota. prop. 1.

C. 6. De Intellectu. ibid. p. 1. Sect. 2.

C. 7. De Sapientia, ibid. De Prudentiæ objecto, ibid. p. 2.

C. 8. De Prudentiæ generibus. ibid. p. 8. De Prudentiæ subjecto. p. 3.

C. 9. De Consultatione, seu Consilio. p. 1 Sect. 4.

C. 10. De Perspicacia, seu Syaesi. ibid & p. 6.

C. 11. De Sententia seu Gnome, ibid. & p. 6. Post hæc agi potest de Prudentiæ partibus integralibus. p 7.

C. 12. Sapientiam, & Prudentiam conferre ad felicitatem. Ex Prudentia dici aliquem agere, qui cum electione, & ex habitu agit: nec posse prudentem esse, nisi bonum virum. ibid. p. 2.

C. 13. Non omnis habitus virtus est, sed qui cum Prudentia est conjunctus. virtutes connexionem habent inter se ratione Prudentiæ, tum qua sunt conjunctæ. Prudentia sapientiæ deservit ut meliori. Agi hoc in loco potest. 1. De Principio Prudentiæ, ac virtutum moralium, de quo d. 1. q. 4. p. 4. & d. 3. q. 1. p. 4. 2. De connexione

connexione virtutum. d.3. q 1. p.7. 3. De æqualitate virtutum moralium.3.id.p.8.

LIBER SEPTIMUS.

C. 1. Tria sunt contra bonos mores, Vitium, Incontinentia, Ferita. Vitium virtuti opponitur, estque malus habitus ex electione. Incontinentia non est ex electione. Ferita est, cùm ia malitia exceduntur limites humani. huic opponitur virtus heroica, cùm in virtute excedituv modus ordinarius hominum. De Continentia, & Incontinentia nunc agendum. Incontinens cognoscens prava esse, quæ agit, agit tamen ex passione.

C. 2. Proponuntur sex dubitationes. 1. An incontinens agat sciens. 2. An possit agere cum prudentia. 3. An continens habeat temperantiam. 4. An continentia sit idem, quod permanere in aliqua opinione: & Incontinentia sit idem, quod relinquere aliquam opinionem. 5. An incontinentia melior sit, quàm intemperantia. 6. An continentia, et incontinentia versentur circa omnem materiam.

C. 3. Soluitur prima dubitatio, An incontinens agat sciens. Agit cum sciencia universalis, sed cum ignorantia particularis, quam causat vehemens passio.

C. 4. Solvitur sexta dubitatio. et definitur. Continentiam, & incontinentiam non circa omnem materiam, sed circa eam propriè versari, circa quam temperantia, & intemperantia versatur.

C. 5. Hoc idem confirmatur. & excluditur ab incontinentia propriè dicta, incontinentia ferina, & morbosa

C. 6. Incontinentiam circa concupiscentiam turpiorem esse, quàm incontinentiam circa iram: esseque illam absolutè incontinentiam dicendam.

C. 7. & 8. Tertia, & quinta dubitatio c. 2. proposita solvitur.

soluitur. Fit autem comparatio inter continentem, temperatum, & constantem; & inter incontinentem, intemperatum, & mollem.

C. 9. Quarta dubitatio, c. 2. proposita soluitur. Comparatur continens cum pertinaci. Ostenditur continentia versari circa medium, & similitudinem habere cum temperantia.

C. 10. Solvitur secunda dubitatio; & ostenditur quomodo se habeat incontinens ad prudentiam.

Horum capitum summa habetur d. 3. q. 4. p. 5. §. 1. de Continentia, & p. 6. §. 7. de Incontinentia. In c. 6. agi potest de Ira, de qua d. 3. q. 1. p. 2. §. 13.

C. 11. Agitur de delectationibus, & tristitiis, circa quas dictum est continentiam, & incontinentiam versari. Primùm autem proponuntur opiniones impugnantium delectationes.

C. 13. Ostenditur contraria veritas, primum ostensivè, deinde ducendo ad inconveniens.

C. 14. Delectationes corporales non esse expetibiles, nisi ad quandam mensuram.

Huic afferri possunt quæ dicuntur de Delectatione, & Tristitia d. 3. q. 1. p. 2. § 7. & 8. & quæ de voluptate d. 2. q. 1. p. 1.

LIBER OCTAVUS.

C. 1. Ostendit ad moralem pertinere de Amicitia tractare. Proponit quæ sint tractanda. Leg. d. 1. q. 2. p. 6. §. ult.

C. 2. Distinguit triplex genus bonorum, & rationem formalem amicitiæ proponit ibid. §. 1.

C. 3. De triplici amicitiæ genere, ibid. §. 4.

C. 4. Amicitiam maximè propriè esse honestam, & quæ inter bonos intercedit, ibid. Hic agi potest de amicitiæ objecto, ibid. §. 3.

C.5. *Distinguit amicitiam per habitum, & actum: docet quosdam privari amicitia ex defectu actus. Ait bonorum amicitiam esse maximam ex ratione ipsius actus amicitiæ. Agit de quorumdam ineptitudine ad amicitiam.*

C.6. *Amicitiam honestam non facilè contingere inter multos, ibid. §.2. Amicitiam delectabilem esse potiorem utili.*

C.7. *Distinguit species amicitiæ, quæ est inter inæquales. Proponit quid requiratur, ut hæ amicitiæ conserventur, ibid. §.2. & 5.*

C.8. *Probat amicitiam magis positam esse in amave, quàm in amari. Comparat amicitiæ species quo ad firmitatem.*

C.9,10,11. *Ex multiplici societatum genere multiplex amicitiarum genus colligit, ibid. §.2.*

C.12. *Ostendit quid observari oporteat in amicitia ad querimonias vitandas; & in quibus amicitiis sint querimoniæ. ibid. §.6.*

C.13. *Agit de querimoniis, quæ contingunt in amicitiis, quæ sunt secundum superexcellentiam: & de modo tollendi, & componendi querimonias.*

LIBER NONUS.

C. 1. *Quid retribuendum sit, ne jus lædatur, & ut amicitia conservetur.*

C. 2. *Singulis, ut convenit, beneficia esse rependenda.*

C. 3. *Amicitias interdum esse dissolvendas. quid agendum cum iis, qui fuerunt amici, post amicitiæ solutionem.*

C. 4. *Effectus amicitiæ, seu quid agendum cum amico colligi debere ex iis, quæ vir bonus præstat erga seipsum.*

C. 5.

C. 5,6,7. *Agitur de tribus amicitiæ effectibus, Benevolentia, Concordia, Beneficentia. De Benevolentia vid. d. 2. q. 2. p. 6. Sect. 1. 5. 6. & d. 3. q. 1. p. 2. Sect. 3. Concordia, est circa agenda. in solis bonis reperitur perfecta, d. 2. q. 2. p. 6. Sect. 6. Quod ad Beneficentiam attinet, magis amant qui beneficia contulerunt, quàm qui acceperunt. opus enim proprium magis amatur; & honestum magis, quàm utile; & id, quod fuit nobis laboriosum. hæc autem contingunt ei, qui beneficia confert, non ei, qui accipit, ibid.*

C. 8. *Distinguit duplicem amorem sui; alterum, quo vult sibi voluptates corporis, pecuniam, honores; alterum, quo sibi vult id, quod honestum est. Probus & secundo amoris genere maximè sui amator est: quia præ honestate cetera non curat, facilèque ea aliis concedit, ut sibi majus honestatis bonum reservet, quod contingit ex eo, quod cetera aliis concedit. Hic agi potest de Amore. vid. Indicem rerum v. Amor, & d. 2. q. 2. p. 6. Sect. 5.*

C. 9. *Amicitam conferre ad felicitatem. tum quia bonum quoddam sunt amici, ergo non sunt negandi homini felici. tum quia homo est animal sociabile, ergo non debet felix esse solitarius. tum quia iucundissimum est operationes bonas contemplari, quod accidit cum amicos intuemur. tum quia amicorum consuetudine operationis continuatæ tædium levatur; & occasio datur exercendæ virtutis. tum quia vivere, & sentire se vivere præsertim vita felici, est maximè naturale, ac proinde jucundum: cum autem amicus amico sit alter ipse, amicus se maximè sentiet felicem in amico, d. 2. q. 2. p. 6. Sect. 3. & Sect. 6. & Sect. ult.*

C. 10. *Amicos tot esse debere, quot amicitiæ conservatio requirit, ibid. Sect 2.*

C. 11. *Esse amicorum præsentiam expetendam tum in adversa, tum in prospera fortuna.*

C. 12. *Amicos amicorum præsentiam, & consuetudinem maximè expetere ibid. Sect. 6.*

LIBER DECIMUS.

C. 1. *Afferuntur rationes cur de voluptate agendū sit.*

C. 2. *Proponuntur opiniones dicentium voluptatem esse ex genere bonorum. & id negantium.*

C. 3. *Confutantur rationes Platonicorum negantium voluptatem esse ex genere bonorum.*

C. 4. *Voluptatem non esse motum. esse perfectionem operationis. eam se habere ut formam. ejus causam efficientem esse potentiam benè dispositam, & objectum ut motivum. explicantur hæc d. 2. q. 2. p. 1.*

C. 5. *Tot esse genera voluptatis, quot operationis. secundum operationum differentiam differre inter se voluptates bonitate, & malitia. Esse etiam diversas specie ratione subjectorum, in quibus eæ sunt. ex honestis voluptatibus eas esse hominis proprias, quæ operationes consequuntur, quæ beati viri sunt propriæ.*

C. 6. *Felicitatem positam esse non in habitu, sed in operatione, eāque, quæ per se expetitur, non propter aliud, qualis est operatio, quæ ex virtute fit. ideo excludendus à ratione felicitatis lusus, d. 2. q. 1. p. 1. & 2.*

C. 7. *Felicitatem esse operationem virtutis optimæ. Probat eam esse operationem intellectus, quia ea proprietates felicitatis maximè habet: nec ordinatur ad aliud, ut contingit operationibus activis, quales sunt bellicæ, ac civiles, ibi p. 3.*

C. 8. *Secundum felicitatis locum obtinere actiones morales, id est, quæ ex virtutibus moralibus proficiscuntur. eas cum contemplatione comparat, quam ostendit esse perfectionem, ibid. Sect. 4.*

C. 9. *Necessarias esse leges ad dirigendas actiones. Necessarios proinde esse bonos legislatores. Maximè autem necessarium modum cognoscere, quo quis bonus legislator fieri possit.*

INDEX

INDEX THOMISTICUS.

IN quo ex secunda parte Summæ S. Thomæ recensentur quæstiones, & ex hoc libro loca, quæ ad illarum doctrinam introducunt.

PRIMA SECUNDÆ.

Quæstio 1. de ultimo fine hominis. Disp. 1. q. 1. def. 5. & 2. & d. 2. q. 1. p. 1.

Quæst. 2. utrum beatitudo hominis consistat in divitiis, honoribus, voluptatibus, &c. d. 2 q. 1 p. 2. & q. 2. p. 1. & 5.

Quæst. 3. De Beatitudine quid sit, d. 1. q. 1. def. 8. & d. 2. q. 1. & q. 2. p. 4. & 5.

Quæst. 4. De his, quæ exiguntur ad beatitudinem, d. 2. q. 2.

Quæst. 5. De adeptione beatitudinis, d. 1. q. 1. def. 5. & d. 2. q. 1. & 2.

Quæst. 6. De voluntario, & involuntario, d. 1. q. 3. p. 1.

Quæst. 7. De Circumstantiis humanorum actuum, d. 1. q. 5.

Quæst. 8. De voluntate quorum sit volitorum, d. 1 q. 1. def. 5 & q. 4. p. 1. §. 4.

Quæst. 9. De motivo voluntatis, d. 2. q. 3. p. 1.

Quæst. 10. De modo, quo voluntas movetur, ibid. §. 2.

Quæst. 11. De Fruitione, qui est actus voluntatis, d. 1. q. 4. p. 1. §. 4.

Quæst. 12. De intentione, ibid.

Quæst.

Quæſt. 13. De electione, ibid.
Q. 14. De Conſilio, ibid.
Q. 15. De Conſenſu, ibid.
Q. 16. De uſu, ib.
Q. 17. De actibus imperatis à voluntate, ib.
Q. 18. De bonitate, & malitia humanorum actuum in generali, d. 1. q. 3. p. 4. & q 5 p. 2.
Q. 19. De bonitate, & malitia humanorum actuum interioris voluntatis, d. 2. q. 3. p. 3.
Q. 20. De bonitate, & malitia exteriorum actuum humanorum. d. 1. q. 3. p. 3.
Q. 21. De iis, quæ conſequuntur actus humanos ratione bonitatis, & malitiæ, d. 1. q. 3. p. 4. ſ. ult.
Q. 22. De paſſionibus animæ in generali, d. 3. q. 1. p. 2 ſ. 1. & 15.
Q. 23. De differentia paſſionum ab invicem, ib. ſ. 2.
Q. 24. De bono, & malo circa paſſiones animi, ib. ſ. 16.
Q. 25. De ordine paſſionum ad invicem, ib. 14.
Q. 26. 27. 28. De amore, de cauſa amoris, de effectibus amoris, ib. ſ. 3.
Q. 29. De odio, ib ſ. 4.
Q 30. De concupiſcentia, ib. ſ. 5.
Q. 31. 32. 33 34. De delectatione, eius cauſa, effectibus, bonitate, & malitia, ib ſ. 7.
Q. 35. 36. 37. 38. 39. De triſtitia ſeu dolore, ejus cauſis, effectibus, remediis, bonitate, ac malitia, ib. ſ. 8.
Q. 40. De Spe, & Deſperatione, ib. ſ. 9. & 10.
Q. 41. 42. 43. 44. De timore, eius obiecto, cauſa, effectibus, ib. ſ. 12.
Q. 45. De Audacia, ibid. ſ. 11.
Q. 46. 47. 48. De ira, eius cauſa, remediis, effectibus, ibid. ſ. 13.
Q. 49. 50. 51. 52. 53. 54. De Habitibus, d. 3. q. 1. p. 1. ſect. 1.

Q.55. De virtutibus quantum ad suas essentias, ib. s.2
Q.56. De subiecto virtutis, ib. p.3.
Q.57. De virtutibus intellectualibus, d.2.q.4 p.1.§ 2. & 4. in fi. & p.6.
Q.58. De distinctione virtutum moralium ab intellectualibus, d.3.q.1 p.1.sect.3.
Q.59. De distinctione virtutum moralium secundum comparationem ad passiones, ibid.p.2.sect.1.
Q.60. De distinctione virtutum moralium ad invicem. ibid.p.5.
Q.61. De virtutibus Cardinalibus, ibid.sect.4.
Q.63. De causa virtutum, ibid.p.4.
Q.64. De medio virtutum, ibid.p.2.s. 18.
Q.65. De connexione virtutum, ibid. p.7.
Q.66. De æqualitate virtutum, ibid.p.8.
Q.67. De duratione virtutum post hanc vitam, ib p.9
Q.76. De ignorantia, quæ est causa peccati ex parte rationis, d.1.q.3.p.1.s.8.
Q.90. usque ad 97. De lege, d.2.q.3 p.3.

SECUNDA SECUNDÆ.

Q.17. De Spe, d.3.q.1.p.2.s.9,
Q.20. De Desperatione, ibid.s.10.
Q.27. usque ad 33. De Charitate, d.2.q.2.p.6. & d. 3 q.1.p.2.s.3.
Q.34. De odio, d.3 q.1.p.2.s.4.
Q.36. De invidia, ibid.s.8.
Q.47. De Prudentia, d.1.q.4.p.1.2.3.4.5.
Q.48. De Prudentiæ partibus in generali, ib.p.6.7.8
Q.49. De Prudentiæ partibus quasi integralibus. ibid.sect.7.
Q.50. De speciebus Prudentiæ, quæ sunt ad multitudinem, ibid.p.8.
Q.51. De Prudentiæ partibus potentialibus, ib.p.6.
Q.57. De Jure, d.3.q.2. p.1.2.3.
Q.58. De Justitia, ibid.p.4.5.6.7.10.

Q.59. De Injustitia, ibid.p.9.s.1.2.3.
Q.61. De Injustitiæ partibus subiectivis,ibid.p.6.
Q.80. De Justitiæ partibus potentialibus, seu de virtutibus ei annexis,ibid.p.7. & 8.
Q.81.De Religione, p.7.s.2.
Q.82. usq; ad 91. De actibus interioribus, & exterioribus Religionis, ibid.
Q.92.& 93. De Superstitione, ibid.p.9.s.6.
Q.97.98.99.100. De Irreligiositate, ibid.s.7.
Q.101.De Pietate, ibid.p.7.s.3.
Q.102. De Observantia, ibid.s.4.
Q.104. De Obedientia, ibid.p.8.sect.8.
Q.106. De Gratia, sive Gratitudine,ibid.s.2.
Q.108. De vindicatione, ibid.s.9.
Q.109. De veritate, ibid. s. 6.
Q.110. De Mendacio, ibid,p.9.s. 11.
Q.111. De Simulatione, ibid.
Q.112. De Jactantia, ibid.
Q.113. De Ironia,ibid.
Q.114. De Affabilitate, ibid. p.8.s.5.
Q.115. De Adulatione, ibid. p.9.s.10.
Q.116. De Litigio,ibid.
Q.117. De Liberalitate,ibid. p.8.s.3.
Q.118. De Avaritia, ibid.p.9. s.8.
Q.119. De Prodigalitate, ibid.
Q.120. De Epiiceia, ibid p.7.s.6.
Q.123.& 124. De Fortitud. d.3.q.3. p. 1. & q.1. p.6.s.4.
Q.125. De Timore, d.3.q.1.p.2.s.12.& q.3.p.5. sect.1.
Q.126. De vitio intimiditatis, ibid.q.3.p 5.s.1.
Q.127. De Audacia, ib.q.1.p.2.s.11. et q.3.p.5.s.1
Q.128. De partibus Fortitudinis in communi, ib. q.3. p 3.& 4.
Q.129. De Magnanimitate, ibid. p.s.4.

Q.130.131.132.133. De Præsumptione, Ambitione, inani gloria, Pusillanimitate, ib.p.5.s.3.
Q.134. De Magnificentia, ib.p.3.& 4.
Q.136.& 137. De Patientia, & Perseverantia, ib.p. 3.s.7.& 9.
Q.138. De vitiis oppositis Perseverantiæ, ib.p. 5.s.5.
Q.141. De Temperantia, d.3 q.1.p.6.s.4. & q.4.p.1 & 2.
Q.142. De vitiis oppositis Temperantiæ, d.3.q.4.p.6. s.1.& 2.
Q.143. De partibus Temperantiæ in generali. ib.p. 3. & 4.
Q.144. De verecundia, ib.p.3.
Q.145. De Honestate, ib.
Q.146. De Astinentia, ib. p.4.
Q.149. De Sobrietate. ib.
Q.150. De Ebrietate, ib.p.6.s.4.
Q.151. De Castitate, ib.p.4.
Q.153. De Luxuria, ib.p.6.s.5.
Q.155. De Continentia, ib p.5.s.1.
Q.156. De Incontinentia, ib p.6.s.7.
Q.157. De Clementia, & Mansuetudine, ib.p.5.s.2. & 3.
Q.158. Iracundia, ib.p.6.s.9.
Q.159. De Crudelitate, ib.s.11.
Q.161. De Modestia, ib. p.5.s.4.
Q.161. De Humilitate, ib.s.5.
Q.162. De Superbia, ib.6.s. 14.
Q.166. De Studiositate, ib.p.5.s.6.
Q 167. De Curiositate, ib.p.6.s.16.
Q.168. De Modestia in exterioribus motibus corporis, ib.5 s.4.
Q.196. De externo apparatu, ibid.

INDEX

INDEX RERVM.

Abjectio.

Vitium. 319

Abominatio.

Quid sit, & eius obiectum. 174

Abstinentia.

Species Temperantiæ. 302

Accommodatum.

Quid sit. 236

Acedia.

Quid sit. 179

Actio.

Variæ huius vocis significationes. 9. 62. 158. 163. 216. 217. *an detur actio indifferens in individuo.* 45. 89. 199. *activus.* 52. *actionem esse circa singularia,* 67. *non esse de ratione formali felicitatis,* 111. 112. *eius obiectum esse media ad summum bonum, ibid.* 155. *esse felicitatem accidentalem.* 113. *debere actiones informari fine ultimo.* 151. *actionem rectam esse virtutum moralium obiectum.* 159. 163. *actionis rectæ genera.* 158. *actionem rectam esse finem proximum virtutum moralium.* 216. *actionum humanarum triplex est regula.* 231

Actus.

Quid sit actus specificari ab obiecto. 44. 158. *à circumstantiis.* 86. 87. *unde habeat bonitatem, & malitiam.*

litiam. 88. actus specie distincti producunt habitus specie distinctos. 218. 225. unde oriatur facilitas in actibus. 214. 218. 228

Admiratio.

Duplex eius acceptio. 186

Adulatio.

Affabilitati opponitur. 274

Affabilitas.

Virtus Justitiæ affinis. 263

Agens.

Agens liberum quid sit. 30. triplex agentium genus, naturalium, sensitivorum, intellectivorum. 92

Agonia.

Quid sit. 186

Ambitio.

Vitium oppositum Magnanimitati. 295

Amicitia.

Quid sit. 115. quomodo se habeat ad felicitatem. 115 130. quod eius subiectum. 117. inter quos sit amicitia. 118. 123. 125. 129. quod amicitiæ obiectum. 119. quot genera. 120. quæ causa efficiens amicitiam. 122. conservans. 124. concilians. 125. quos effectus pariat amicitia. 125 131. quod principium illorum effectuum. 128. quatenus amicitiis utendum. 132. Amicitia virtus justitiæ affinis. 263. 264.

Amor.

Duplex, alius absolutè amor, alius amor concupiscentiæ. 110 168. quid sit amor benevolentiæ, & concupiscentiæ. 156. amorem esse nexũ quendã. 169. quid ametur amore concupiscentiæ. 118. amoris obiectum. 119. ratio, ex qua oritur amor. 120. cur amor dicatur primum donum. 122. amor in Deum. 130. Amor passio, quid sit. 164. 168. eius causæ. 169. causæ reprimentes. 169. effectus amoris. ibid.

Angustia.

Quid sit. 179.

Anima.

Quomodo anima rationalis sit subiectum sensationis. 142. 198. est eminenter vegetativa, & sensitiva. 159 160. triplex genus operationum habet, & instrumenta ad illas efficiendas, ibid. triplicem appetitum, ib. sub qua ratione anima rationalis sit subiectum passionum. 198. pars animæ rationalis quid sit apud Arist. 214

Anxietas.

Quid sit. 179

Appetitio.

Quid sit. 12. Contingit ad cognitionem intellectivam consequi appetitionem sensitivam. 162. & ad appetitionem sensitivam consequi mutationem in corpore. 162 eur appetitio sensitiva appelletur Passio. ibid.

Appetitus.

Quid sit. 11. 160. quotuplex. 11. Appetitus elicitus. 11 Appetitus innatus quotuplex. 11. Appetitus naturales. 11. 164. Appetitus sensitivus. 11. 163. Appetitus intellectivus. 12. Quam formam quilibet appetitus consequatur. 13. Appeti posse malum sub ratione boni. 13. Cur sit rebus tributus appetitus. 45. circa quid debeat versari hominis appetitus. 45 88. quid sit appetitus rectus. 54. appetitum rectum esse causam Prudentia. 73. in quid feratur appetitus actu amoris. 119. quid requiratur ut bonum moveat appetitum. 133. 134. a quo excitetur appetitus sensitivus. 162. Appetitus irascibilis, et concupiscibilis quid sit. 163. Appetitus sensitivus non est subiectum virtutum proprie dictarum. 212. quomodo posset dici subiectum virtutum moralium. ibid.

Apprehensio.

Quomodo simplex apprehensio se habeat ad electionem. 135

Approbatio.

Quid sit. 49

Arduum.

Quid sit. 166. *esse obiectum virtutum.* 209

Arrogantia.

Quid sit. 276

Ars.

Quid sit. 20. 51. *Artium differentia.* 52

Avaritia.

Vitium Liberalitati contrarium. 273

Audacia.

De *Audaciæ obiecto.* 169. *quid sit,* 182. *quomodo differat à desiderio.* 183. *Audaciæ divisio, & causæ, ibid.* 184. *Audacia vitium Fortitudini oppositum.* 295

Beneficentia, & Beneficia.

Sunt principium amicitiæ. 122. *amicitiam conservant.* 124. *maximè delectat collatio beneficiorum.* 127

Benevolentia.

Quid sit. 116. *erga quos sit.* 117. *est principium amicitiæ.* 122. *est amicitiæ effectus.* 125

Bonitas.

Bonitas moralis quid sit. 41

Bonum.

Boni definitio ex Arist. 10. *ex Plot.* 13. *ex Dion.* 13 *Definitio à priori.* 10. *Ratio bonitatis quid sit* 10. *quomodo bonum sit obiectum voluntatis.* 133. *Variæ boni divisiones.* 14. *Bonum simpliciter, et secundùm quid, ib. Bonum honestum delectabile, utile.* 15. *Bonum honestum morale, ac naturale.* 16. *quid sit bonum morale.* 41 *quid sit bonum hominis, ut homo est.* 88. *quid sit summũ hominis bonum.* 90. 93. *quod sit bonum hominis ovrabile.* 111. *Bona corporis & externa, sunt media ad felicitatem, et ornamenta illius.* 114. *Bonorum communicatio inter amicos.* 126. *Bonum particularium duobus modis referri posse in bonum commune.* 251

Castitas.

Species Temperantiæ. 302

Causa.

Primæ causæ concursus. 138.145

Cautio.

Est pars Prudentiæ. 80

Circumspectio.

Est pars Prudentiæ. 80

Circumstantiæ.

*Quid sint.*84.*quot sint.*84. *quomodo se habeant ad actus,et illos specificent.*86.88. *quomodo spectant ad singularitatem,seu individuationem actus moralis.*87

Clementia.

Virtus Temperantiæ affinis. 303.304

Cognitio.

*Cognitionis sensitivæ subiectum.*197.*cognitio sensitiva præit actum passionum.* 198

Concupiscentia.

Quid sit,quotuplex,eius causæ. 172.173. *Causat voluntarium.*35.*minuit libertatem.*35.*concupiscentia in summum bonum quid sit,et quomodo se habeat ad felicitatem.* 110.116

Conjectatio.

Est pars Prudentiæ. 78

Consensus.

Quid sit. 56

Consilium.

*Quid sit.*58.*materia consultationis,ib.quomodo ad prudentiam pertineat.*64. *quæ sit recta consultatio. ibid.*

Constantia.

Pars integralis,et perfectio Fortitudinis. 292

Consultatio.

Vid. Consilium.

Continentia.

Virtus Temperantiæ affinis. 303

Contractus, seu Commutationes.

Contractus alii spontanei, alii inviti. 236

Convenientia.
Quid sit ratio convenientiæ. 11
Crudelitas.
Vitium Clementiæ oppositum. 317
Curiositas.
Vitium Studiositati oppositum. 319
Damnum.
Quid sit. 246
Debitum.
Quid sit jus alteri debitum. 247
Delectabile.
Quid sit. 15
Delectatio.
Quomodo spectet ad felicitatem. 99. *Delectatio voluntatis.* 103. *est amicitiæ effectus.* 127 *Delectatio passio, quid sit.* 164. 174. *ratio nominis.* 174. *Delectationis divisio, remedia, causa, effectus.* 175. *ira causat delectationem.* 17
Deliberatio. *Vid. Consilium.*
Depositum.
Quid sit. 236
Desiderium.
Quid sit. 164. *vid. v. Concupiscentiam.*
Desperatio.
De obiecto desperationis. 165. *quid sit.* 258
Devotio.
Quid sit. 258
Deus.
De amicitia inter Deum, & homines. 118. 123. 125. 126 128. *et seqq. Quomodo Deus moveat voluntatem.* 138. *Dei concursus cum causis secundis. ib. ille concursus non tollit libertatem.* 145. *non tribuitur ei malitia nostri actus. ibid. Dei voluntas est regula voluntatis humanæ.* 149. *an in Deo sit vera ratio justitiæ.* 279.
Dissimulatio.
Quid sit. 276.
Divinatio.

Divinatio.
Est genus superstitionis. 271
Divitiæ.
Non est posita felicitas in Divitiis. 93.94
Docilitas.
Est pars Prudentiæ. 78. *est à natura, perficitur studio. ib.*
Dolor.
Quid sit, eius comparatio cum delectatione. 177.178 *doloris divisio, ibid. causæ, remedia.* 179.180. *effectus.* 181.
Dubium.
Quomodo voluntas se habere debeat in dubiis. 148
Duratio.
Vid. Perpetuitas.
Ebrietas.
Vitium Temperantiæ oppositum, 312
Ecstasis.
Amoris effectus. 171
Electio.
Quid sit. 55. *circa quæ sit electio.* 55.56. *ordo actuum intellectus, et voluntatis, qui electionem præcedunt.* 62. *quæ cognitio supponatur ad electionem.* 135
Epikeia, sive Æquitas.
Quid sit. 260
Error.
An voluntas debeat se conformare rationi erranti. 149
Erubescentia.
Quid sit. 186
Ethica.
Ratio nominis 6. *quid sit.* 27. *Divisio in Monasticam, Oeconomicam, Politicam.* 7. *Ethicam esse speculativam.* 19.20. *Esse partem animasticæ.* 22. *eius obiectum.* 25 *subiectum.* 26. *eius modus procedendi.* 27
Eubulia.
Quid sit. 64
Eutrapelia.

Species Modestiæ. 306. 307

Experientia.

Quid sit. 77. *est causa Prudentiæ.* 73

Factio.

Quid sit. 9

Fama.

Non est posita felicitas in fama. 94

Fastidium.

Est effectus delectationum corporalium. 177

Fel.

Est species iræ. 189

Felicitas.

Quid nominis. 18. 90. 109. *est summum hominis bonum.* 90. *ultimus finis.* 90. *hominis operatio.* 95. *non est posita in bonis externis.* 94. *non in voluptate corporali.* 96. *sed in operatione intellectus. ib. in contemplatione Dei.* 99. *Proprietates felicitatis sunt, voluptas.* 102. *Perpetuitas.* 108. *Concupiscentia in summum bonum.* 110. *Actio.* 111. *Media, et ornamenta felicitatis sunt bona corporis, et externa.* 114. *Amicitia,* 115. 130. *Habitus boni, seu virtutes.* 155

Feritas.

Vitium Clementiæ oppositum. 317

Fidei justio.

Quid sit. 236. 237

Fiducia, sive Fidentia.

Virtus Fortitud. affinis. 287. *& pars integralis Fortitudinis.* 293

Finis,

Quid sit. 17. *Finis qui, cuius, cui, actionis, rei formalis, obiectivus, proximus, remotus, ultimus.* 17. 18. *non omne ultimum in executione habet rationem finis.* 98. *quis sit finis hominis.* 90. *finis est regula eorum, quæ ordinantur ad ipsum.* 150. *habet rationem principii formalis in actionibus.* 151

Fortitudo,

Fortitudo.

Nominis acceptiones. 223.286. *Ratio formalis Fortitudinis.* 282. *Ejus objectum, ac materia.* 285. *virtutes ei affines.* 286. *quomodo differat à Fiducia* 287. *ejus partes integrales.* 292. *vitia ei oppoſita.* 294.

Fruitio.

Quid ſit. 55.103

Fuga.

Quid ſit. 163.174

Furor.

Quid ſit. 189

Gaudium.

Quid ſit. 176

Gnome.

Quid ſit. 65

Gratia.

Quæ virtus ſit. 261

Gratitudo.

Amicitiam conſervat. 124 *Vid. v.* Gratia.

Gula.

Vitium Temperantiæ oppoſitum. 311

Habitus.

Quid ſit. 9.156. *Dari habitus in intellectu, & voluntate.* 10.156. *De quinque habitibus intellectualibus.* 49.158. *Habitus activus, & factivus.* 53. *Habitus bonos eſſe media ad felicitatem.* 155. *Habitus ſpecificari phyſicè ab objectis.* 158. *verſari circa ea, à quibus gignuntur.* 209. *Habitus materialis non poteſt eſſe electivus.* 211. *cur dentur habitu,* 214. *eſſe habitus in appetitu ſenſitivo. an ii poſſint habere rationem virtutis.* 219. 212. 214. *& ſeq. Habitus ſpecie diſtincti producuntur ab actibus ſpecie diſtinctis.* 217

Honeſtas.

Pars integrans Temperantiam. 301

Honestum.

Honestum morale, quid sit. 16. 41. *Honestum naturale* 17. *Regula ad discernendum bonum honestum morale.* 17. *honestum morale quod genus amicitiæ faciat.* 121. *honesta sunt jucundissima.* 127

Honor.

Felicitas non est in honore. 94. *consequitur hominis excellentiam.* ibid.

Humilitas.

Virtus Temperantiæ affinis. 307

Hypocrisis.

Quid sit. 276

Jactantia.

Vitium veracitati oppositum 276

Ignavia.

Vitium Fortitudini oppositum. 294

Ignorantia.

Alia voluntaria, & consequens. 36. *alia concomitam.* ibid. *alia antecedens.* 37

Impatientia.

Opponitur Patientiæ. 296

Imperium.

Quid sit. 59. 136. *pendet à voluntate.* 59. 144. *quotuplex sit.* 59, 60. *quæ subjiciantur actui imperii.* ib. *quid sit unam virtutem alteri virtuti imperare.* 62. 258. *quomodo ad actum imperii Prudentia pertineat.* 63. 64. *imperium virtuale.* 136. *actum imperii non concurrere efficienter ad actum velitionis.* 144

Impignoratio.

Quid sit. 236

Impudicitia.

Vitium Temperantiæ contrarium. 313

Imputare.

Quid sit. 47

Inanis gloria.

Opponitur Magnanimitati. 295.

Inclinatio.

Quid sit. 12. 13. *ad quid consequatur, ibid. voluntas est inclinatio ad bonum morale.* 139

Incontinentia.

Quibus modis sumatur, 313. *comparatur cum intemperantia.* 315

Individuum.

Quomodo ad rationem invidui concurrat Deus. 138

Injustitia, Injustum.

Quot modis dicantur. 267. *quid sit formaliter injustum.* 268. *non exercetur injustum ad seipsum.* 269. *quid sit injustitia illegalis.* 270

Inquisitio.

Quid sit. 58

Insensibilitas.

Opponitur Patientiæ. 296. *& Temperantiæ.* 309

Intellectus.

Dividitur in Mentem, & Rationem. 48. *in speculativum, & practicum.* 49. *in scientificum, & opinativum.* 52. *De habitu qui dicitur Intellectus.* 50. *De parte Prudentiæ, quæ dicitur intellectus.* 77. *Quomodo intellectus proponat voluntati objectum appetibile.* 134. *quo modo perturbetur rectus usus intellectus.* 139. 147. *an intellectus possit immediatè moveri ab agente creato.* 140. *Non concurrit efficienter ad actum voluntatis.* 143

Intellectio.

Quomodo specificetur. 143. *quomodo concurrat ad volitionem.* 144

Intelligentia.

Quid sit. 77

Intemperantia.

Vitium. 310

Intentio.

Quid sit. 55

Intimatio.

Quid sit. 59. *quotuplex.* 60. *pertinere ad actum Prudentiæ.* 60. 61

Intimiditas.

Vitium Fortitudini oppositum. 294

Invidia.

Quid sit. 179

Invitum.

Quæ dicantur invita. 29. 84

Involuntarium.

Quid sit. 31. 84. *quotuplex sit.* 31

Ira.

De ejus objecto 165. 188. *Non dari passionem contrariam iræ, eique respondentem.* 167. *quid sit passio iræ.* 188. *ejus divisio.* 189. *ejus causæ. ibid. motus iram frænandi.* 190. *effectus iræ.* 191. *Ira vitium mansuetudini contrarium.* 318

Ironia.

Vitium veracitati oppositum. 276

Irreligiositas.

Vitium Religioni contrarium. 272

Jucunditas.

Quid sit. 176. *Vid. voluptas.*

Jucundum.

Quod genus amicitiæ faciat. 120. 121. *honesta sunt jucundissima.* 127. *laboriosiora sunt jucundiora.* 127

Judicium.

Quid requiratur ad formandum judicium practicum. 23. *quid sit judicium verum.* 54. *quid sit judicium, quod est pars consilii.* 58. *quo modo ad Prudentiam pertineat.* 64

Jus.

Juris acceptiones. 230. 232. *quæ jus intercedat.* 231. 239. *quid sit.* 118. 231. *Quotuplex sit.* 231. 232. *ejus divisio in legitimum, & particulare.* 234. *in naturale, & positivum; divinum, & humanum.* 234. 235.

235. *arithmeticam proportionem habens, & Geometricam.* 236. *æquale simpliciter, & secundum quid.* 238. *Juris Arithmetici materia.* 237. *Juris Geometrici materia.* 238. *Jus commutativum.* 237. *Jus politicum, paternum, herile.* 240. *Jus alteri debitum quid, & quotuplex.* 247. *Justum perfectum, & imperfectum.* ibid. *conservandum amici jus.* 128

Justitia.

Acceptiones Justitiæ. 222, 223. 230, 231. 253. *ejus objectum.* 233. *ejus ratio formalis.* 245. *ejus prima genera, alia legalis, alia particularis.* 248. *cur dicatur justitia legalis.* 249. *quid sit justitia particularis.* ib. *Justitiam legalem esse speciale genus virtutis.* 250. *cur Arist. dixerit justitiam legalem esse integram virtutem.* ibid. *an justitia legalis sit propriè justitia.* 251. *Justitia particularis alia Distributiva, alia Commutativa.* 253. *unde metienda sit æqualitas, quam facit Justitia.* 254. *quæ sit materia utriusque Justitiæ particularis.* 255. *& seq. quæ sint Justitiæ generalis genera.* 256. *& seq. quid sit Justitia legalis specificè sumpta.* 259. *quæ virtutes Justitiæ affines.* 264. *Justitia vindicativa quid sit.* 266. *vitia justitiæ contraria* 267. *Justitiæ unum vitium opponitur per defectum.* 270. *quod sit subjectum Justitiæ.* 276. *quomodo in Deo sit vera ratio justitiæ.* 279

Lætitia.

Quid sit. 176

Laus.

Quid sit. 47. *quid sit laudabilitas.* ibid.

Lenitas nimia.

Opponitur Mansuetudini. 316

Lentitudo.

Vitium Clementiæ oppositum. 317

Lex.

Quid sit. 152. 234. *quo modo lex humana sit regula voluntatis* 153. *cur leges ferantur* 249. Li-

Liberalitas.
Quæ virtus sit. 262. *quomodo differat à Magnificentia.* 263
Liberum.
Quid sit. 30.35.38
Litigium.
Vitium Affabilitati oppositum. 274
Locatio.
Quid sit: 236
Longanimitas.
Pars integralis & perfectio Fortitudinis. 292,293
Lucrum.
Quid sit. 246
Lusus.
Ad quid deserviat. 96
Luxuria.
Vitium Temperantiæ oppositum 312
Magnanimitas.
Competit statui eminenti. 226. *est virtus Fortitudini affinis.* 288. *& pars integralis ejusdem.* 292,293
Magnanimitatis effectus. 289
Magnificentia.
Quid sit. 263. *Competit eminenti statui.* 226. *quæ vitia ei opponantur.* 274 *est virtus Fortitudini, & justitiæ affinis.* 287. *& pars integralis Fortitudinis.* 292,293
Malitia.
Malitia moralis quid sit. 41,42,43. *& seqq.*
Mania.
Species iræ. 189
Mansuetudo.
Virtus Temperantiæ affinis. 304
Mediocritas.
Reperitur in omni objecto virtutum tum intellectualium, tum moralium. 203. *vid. Medium.*
Medium.

Media ad finem sunt objectum Prudentiæ. 68. *alia intrinseca, alio extrinseca.* 69. *De medio in objectis virtutum.* 203. *De medio rei, & rationis.* 204. 205. *Medio rei non contrariatur nisi defectus.* 205. *medium virtutum esse medium non omnino indivisibile, sed morale.* 206. *quod est extremum respectu unius virtutis, potest esse medium respectu alterius virtutis.* 207

Memoria.

Quid sit. 77

Mendacium.

Vitium veracitati oppositum. 275

Mens.

Quid sit. 48. 77

Misericordia.

Quid sit passio Misericordiæ. 279

Modestia.

Quid nominis. 305. *quid sit.* 306

Mollities animi.

Vitium Perseverantiæ contrarium 297. *& Parcitati.*

Morale. 321

Ratio nominis. 8. 28. *quæ actiones nominentur morales.* 8 *quid sit ens morale.* 17. 29. 38. *quotuplex.* 17. *Moralis disciplina quotuplex.* 19. *quæ sit ratio moralitatis in actibus voluntatis.* 38. *in objectis, in ipsa voluntate.* 40. 44.

Mos.

Ratio hujus nominis. 78

Mutuum.

Quid sit. 236

Necessarium.

Quid sit, & quotuplex. 30

Negligentia.

Vitium. 320

Nemesis.

Quid sit. 179.

Obedientia.

Quæ sit virtus Obedientiæ. 265

Objectum.

Quid sit, 19. 26, 27. *quid sit esse morale in objecto*. 44. *tribuit speciem actui*. 88. *quomodo verum, sit objectum intellectus*. 99. *obiectum sub ratione convenientiæ est motivum voluntatis* 133. *non concurrere efficienter in actum voluntatis*. 141

Observantia.

Quid sit, quod ejus objectum. 259

Odium.

Quid sit, ejus objectum, divisio, causa. 171

Operatio.

Operatio ad rationem felicitatis spectat. 93. *habet duplicem ordinem, ad subjectum, & ad objectum*. 94. *posita est felicitas in operatione partis rationalis*. 95. *Operationis nomen competit motui appetitus rationalis*. 162. *Operationum divisio*. 201. *Operationes voluntatis metaphoricè passiones dicuntur*. 202

Opinio.

Opinativum quid sit, 52. *opinionis duo genera*. 53

Ordinare.

Quid sit. 246

Parcitas.

Virtus Temperantiæ affinis. 308

Pars.

Quid sint partes integrales. 77

Passio.

Passionum moderatio felicitatem conservat, & auget. 155. *cur Passionis nomen competat appetitioni sensitivæ*. 162. *de appetitione rationali dicitur metaphoricè*. 201. 216. *Passionum animi divisio*. 163. *ad quid deserviant, animali passiones*. 285. *singularum passionum objecta*. ibid. *Comparatio passionum inter se*. 192. *Passiones non subjectari in potentiis cognoscitivis*.

citivis. 195.196. *subjectari in toto composito.* 196. *in corde.* 197. *actus passionum præcedit cognitio sensitiva.* 198. 199. *de passionum bonitate, & malitia.* 199. *de mediocritate.* 203. *quid debeat habere passio, ut sit bona rationi.* 221. *Passiones quas Fortitudo moderatur.* 284

Patientia.

Pars integralis, & perfectio Fortitudinis. 293

Periurium.

Est species Irreligiositatis. 272

Perfectio.

Quid sit. 11,12

Perpetuitas.

Quid sit. 108. *non esse de ratione formali felicitatis* 108,109

Perseverantia.

Pars integralis, & perfectio Fortitudinis. 294.292

Perspicacia.

Quid sit. 5

Pertinacia.

Vitium Perseverantiæ contrarium. 297

Pietas.

Quid sit, quod ejus objectum. 258

Pœnitentia.

Quid sit. 179

Practicum.

Quid sit. 20. 49. *quotuplex judicium practicum.* 23. *quid requiratur ad judicium practicum rectè formandum.* 23

Præsumptio.

Vitium oppositum Magnanimitati. 295

Præmiabilitas.

Quid sit. 46. Prodigalitas.

Vitium Liberalitati contrarium. 273

Prosequutio. *Quid sit.* 163

Providentia.

Est pars Prudentiæ. 79. Pru-

Index Rerum.

Prudentia.

Amplæ Prudentiæ acceptiones. 65, 66. *quid sit.* 21. 48. 51. *Prudentiæ divisio.* 23. *definitio.* 24. *objectum.* 26. *subjectum* 26. 70. *potissimam Prudentiæ rationem ad formandum actum imperii pertinere* 63. *non posse quempiam prudentem esse, nisi bonus sit.* 63. *quomodo actus Consultationis, & judicii ad Prudentiam pertineant.* 64. *Prudentiam versari circa singularia.* 66. *circa agibilia.* 67. *circa media ad finem.* 68. *circa conformia appetitui recto.* 68. 74. *Prudentiæ methodus.* 70. *vera Prudentia, & perfecta in solis bonis reperitur.* 70. *non reperitur in juvenibus perfecta.* 71. *quæ sit Prudentia perfecta.* 70. *an Prudentia reperiatur in subditis.* 72. *Principia, ex quibus Prudentia oritur.* 72. *Differentia inter Prudentiam, & Artem.* 73. 83. *cur actus Prudentiæ sit rectus, & verus cum conformatur appetitui recto.* 75. *Prudentia est cita in operando.* 75. *Partes Prudentiæ potentiales.* 76. *integrales.* 77. *subjectivæ.* 80. *quo modo Prudentia sit species specialissima.* 82. *Prudentiam esse virtutem moralem, & intellectualem.* 221

Pudicitia.

Species Temperantiæ. 302

Punibilitas.

Quid sit. 46

Pusillanimitas.

Vitium Magnanimitati oppositum. 296

Quies.

Ad quid deserviat. 96. *quomodo spectet ad voluptatem.* 103. *delectatio est quædam quies.* 180

Ratio.

Quid sit. 48. *Dividitur in superiorem, & inferiorem.* 48. *quid sit ratio recta, & vera in Prudentia, & Arte* 53. 73. 215, 216. *quid sit ratio pars Prudentiæ.* 79. *Rationem rectam esse regulam voluntatis.* 147, 148.

148 *quæ sit ratio respectu communitatis.* 154. *quæ sit ratio tribuendi unicuique jus suum.* 246, 247

Regula.

De triplici regula voluntatis. 147. *finis est regula.* 150. *de triplici regula actionis humanæ.* 231. *Regula Temperantiæ.* 300

Religio.

Quid sit, quod ejus objectum. 257

Repassio, sive Retaliatio.

Quid sit. 266

Rusticitas.

Vitium Temperatia oppositum. 276

Sacrilegium.

Est Irreligiositatis species. 272. 273

Sævitia.

Vitium Clementiæ oppositum, 317

Sapientia.

Quid sit. 50

Scientia.

Quid sit. 20. 50. *quod possit esse de singularibus.* 22. *De habitu, qui dicitur scientia.* 49, 50. *scientificum quid sit.* 52

Scurrilitas.

Vitium urbanitati oppositum. 276

Securitas.

Est pars integralis, & perfectio Fortitudinis. 292, 293

Segnities.

Quid sit. 186

Sensus.

Est pars prudentiæ. 77. *quomodo sensus moveat voluntatem.* 137. 140. *seqq.*

Similitudo.

Est effectus amicitiæ. 128

Simonia.

Est species Irreligiositatis. 273

Simulatio.
Vitium Veracitati oppositum. 275
Singularitas.
Quid sit. 87. *causa cur hæc potius, quam alia singularitas producatur.* 138
Sobrietas.
Species Temperantiæ. 302
Solertia.
Est pars Prudentiæ. 78
Solicitudo.
Requiritur in Prudentia. 75
Species.
Quomodo concurrat species impressa ad intellectionem. 142
Speculativum.
Quid sit. 19.49.52
Spes.
De spei objecto. 165. *quid sit.* 181. *ejus causæ, & effectus.* 182
Spontaneum.
Quid sit. 29
Studiositas.
Virtus Temperantiæ affinis. 308
Stupor.
Quid sit. 186.309
Subjectum.
Quid sit 19. 26. *quomodo anima rationalis possit esse subjectum rei divisibilis.* 142.197.198
Superbia.
Vitium Humilitati oppositum. 317
Superfluitas ornatus.
Vitium. 320
Superfluitas ludi.
Vitium. 320
Superstitio.
Quid sit, & ejus species. 271. Synde-

Syndereſis.

Quid ſit. 50.68

Syneſis.

Quid ſit. 65

Temperantia.

Nominis acceptio. 222. 297. *ratio formalis.* 298. *materia.* ibid. *ſeqq. objectum.* 300. *Regula.* ibid. *partes integrales.* 301. *partes ſubjectivæ.* 302. *Virtutes affines.* 303. *vitia oppoſita.* 309

Tentatio Dei.

Eſt ſpecies irreligioſitatis. 272

Timor.

Quid ſit, & ejus genera. 185. 186. *Timoris cauſæ,* 186. *remedia, & effectus.* 187

Timiditas.

Vitium Fortitudini oppoſitum. 294

Triſtitia.

Vid. v. Dolor.

Turpitudo.

Quid ſit. 42

Velleitas.

Quid ſit. 58

Venuſtas.

Quæ ſit venuſtas in actione vitali. 104. *quæ ſit in coloribus.* 105

Verecundia.

Quid ſit. 186. 301

Veritas, ſive veracitas.

Virtus Juſtitiæ affinis. 264

Vindicatio.

Virtus Juſtitiæ affinis. 266

Violentum.

Quæ dicantur violenta. 29 *ſeqq.*

Virtus.

Objectum virtutum. 9. *quinque virtutes intellectuales.* 49.

49. 158. *Virtus est principium amicitiæ.* 128. *Virtutum moralium ratio formalis.* 156. *virtutem non posse inclinare ad actum neque materialiter malum.* 157. *Virtutum moralium objectum est actio recta.* 159. *est mediocritas* 203. *cui opponitur defectus, & excessus.* 205. *Item objecta virtutum moralium sunt voluptates, & tristitiæ.* 208. *objectum virtutum habere rationem debiti.* 209. *Virtutes morales propriè dictas subjectari in parte hominis rationali.* 209. *Quæ causa efficiens, & finis virtutum moralium.* 215. *De virtutum moralium divisione, ac generibus.* 216. *unde sumatur ratio speciei ultimæ in virtutibus.* 219. *an ratio præsentiæ objecti, & absentiæ specificent diversas virtutes.* 221. *Cur dicantur virtutes Cardinales.* 222. *divisio, & ratio formalis virtutum Cardinalium.* 223. *earundem objecta.* ibid. *De connexione virtutum.* 223. *qui sit status perfectus virtutum.* ibid. *De virtutum moralium æqualitate.* 226. *quid sit extensio, & intensio in virtutibus.* 227. *De duratione virtutum moralium.* 229. *quid sit unam virtutem imperare alteri.* 258. *virtutes Justitiæ affines.* 261. *Fortitudini affines.* 286. *Temperantiæ affines.* 303

Vitium.

Cur virtuti us soleat duplex vitium opponi. 205. *vitia Justitiæ contraria.* 267. *vitia Fortitudini opposita.* 294. *opposita Temperantiæ.* 309

Vituperabilitas.

Quid sit. 47

Unio.

Unio vitalis habetur per actum intellectus, & voluntatis. 199 *Unio, est effectus amicitiæ.* 127. *oritur unio ex similitudine.* 128. *amor habet rationem unionis vitalis.* 170

Volitio,

Volitio.

Quid sit. 143. non concurrit efficienter ad aliam volitionem. 144

Voluntas.

Quid sit. 11. 140. 142. 146 214. quid sit actus, qui dicitur voluntas. 54. voluntatum conformitas, est effectus amicitiæ. 126. quod sit obiectum motivum voluntatis. 133. quæ cognitio requiratur ut voluntas tendat in obiectum. 135. 147. quibus modis voluntas sit principium sui actus. 136, 137. quod sit principium primum ut voluntas moveatur. 137. sensus movet voluntatem indirectè. ib. quomodo voluntas moveatur à Deo. 138. de modo, quo voluntas movetur. 141. de libertate voluntatis. 146. voluntatis regula triplex, Ratio recta, voluntas Dei, lex humana. 147, 148. An voluntas debeat se conformare rationi erranti. 149. quomodo habere se debeat in dubiis. 148. quomodo in errore. 149. De conformitate humanæ voluntatis cum divina. 150

Voluntarium.

Quæ sit ratio voluntarii. 29, 30, 31. 138. Voluntarium aliud indirectè. 32. aliud in se, aliud in alio. ib. aliud expressum, aliud interpretativum. 32. aliud simplex, aliud mixtum. 33

Voluptas.

Voluptates corporales non habent rationem felicitatis. 96. quid sit voluptas. 102. quid nominis. ib. habere rationem proprietatis respectu felicitatis essentialis. 106. quomodo dicatur non esse felix, qui vitam degit injucundam. 99, 106. de duplici ratione voluptatis. 107. voluptatem appetitus esse distinctam à iucunditate sensuum, & cognitionis. 107. Voluptates esse obiecta virtutum moralium. 208

Urbanitas.

Virtus Justitiæ affinis. 264

Usus.
Quid sit. 57
Usus fructus.
Quid sit. 236
Utile.
Quid sit. 16. cuius amiciti æ obiectum sit. 121
Zelus.
Quid sit, & quod sit amoris effectus. 171. Zelus. species tristitiæ. 179

FINIS.